RESPONSIO AD MALEDICVM FRANCISCI STANCARI MANTVANI LIbrum aduersus TIGVRINAE ecclesiæ ministros, de Trinitate & Mediatore Domino nostro Iesu Christo, auctore IOSIA SIMLERO TIGVRINO.

TIGVRI
Excudebat Christophorus Froschouerus
M. D. LXIII.

MAGNIFICIS, GENEROSIS ET NOBILIBVS DOMINIS AC PIIS ET FIDELIBVS Eccleſiarum miniſtris in Polonia & *Ruſsia, dominis & fratribus ſuis charis & honorandis,* IOSIAS SIMLERVS *Gratiam & pacem à Deo precatur.*

CHRISTIANA Charitas qua omnes qui eandem religionem profitemur inter nos coniuncti ſumus, & meus erga uos omnes amor ſingularis ex admiratione ueſtræ fidei & pietatis ortus, fecit ut ego homo peregrinus & uobis ignotus auderem ad uos de rebus maximis & grauiſsimis ſcribere. Nihil enim exiſtimo in humanis rebus cognitione Dei maius eſſe, nullasque controuerſias grauiores quàm quæ ſunt de rebus diuinis, in quibus uniuerſa ratio ſalutis noſtræ poſita eſt. Quare poſtquam ſuperioribus annis audiuimus Eccleſias ueſtras, arrogantium quorundam & contentioſorum hominum improbitate laceratas & turbatas eſſe, magnum & incredibilem ea de re c- s boni dolorem accepimus. Facilè enim uidebamus ſemel motis nouis quæſtionibus, alias quoque nouas controuerſias quotidie orituras, dum quisque ſemel conceptam opinionem pertinaciter tuetur; ex quo deinde ſequitur multorum offenſio & abalienatio, & ſtudium piæ Chriſtianæque diſciplinæ in tanto rixandi ſtudio ne-

gligitur. Huic malo nos omnes qui Christum prædicamus, mederi uoluisse, & literis priuatim ac publicè scriptis pacis & concordiæ authores fuisse, uos ipsi optimi testes estis. Quin etiam cùm nuper apud uos Franciscus Stancarus, libro in publicum edito omnibus probris & conuitijs nos consectatus esset, non tamen his ad respondendum quisquam nostrum commotus fuisset, nisi statuissemus aliquam ex hac responsione utilitatem ad uos posse redire. Ideoque ego fratrum consilio has respondendi partes susceпi, si fortè controuersia hac exacte discussa in concordiam pristinam ecclesiæ reduci possint, cuius rei nondum prorsus omnem spem ex animo meo deposui. Non quod existimem Stancarum ipsum, hominem natura contentiosum & maledicum, posse ullam moderationem huius controuersiæ admittere: sed quod uideam sequi eius partes homines doctos quoque & moderatos, cum quibus, si perspicuè exponantur aliqua quæ in hac controuersia ambigue dicuntur, non difficulter aliqua concordiæ ratio iniri poterit. Nam si primum inter partes conueniat de fide sanctæ Trinitatis & incarnationis Domini nostri Iesu Christi, ita ut dilucidè & perspicuè Sabellij, Arij, Nestorij atque Eutychetis errores excludatur, & deinde explicetur quid sub mediationis nomine & officio, comprehendatur, & quid sit Christum facere aliquid aut esse secundum diuinam aut humanam naturam, ita ut de harum locutionum sensu partes inter se conueniant, existimo deinceps non fore difficilem & obscuram de Mediatore cõtrouersiam. Quod autem dico primum omnium Arij & Eutychetis aliosq; errores damnandos esse, non tam me Stancari conuitia mouent, qui etiam insontes Arianismi damnat, quam multorum bonorum uirorum sermones & literæ, & præterea tabula quædam nuper

super apud uos edita. Nam tabulæ illius auctor dum contra Sabellium tuetur ueram personarum distinctionem in sacra triade, interim non obscure in nouorum Arianorum partes accedit, qui tres Deos non quidem uerbo sed reipsa nobis fabricantur. Et quoniam apud uos degere audio Valentinum Gentilem & Georgium Blandratam, quorum hic peruersæ fidei de Trinitate non obscura indicia alibi edidit, alterius uerò impius libellus in publicum edatus extat, non temere metuo ne forte & tabulæ huius auctori & præterea nonnullis alijs suum uenenum afflauerint. Solent enim noui Arianismi auctores sese uarijs & miris artibus insinuare, atq; suum uenenũ sensim nõ omne simul effundunt, & quo simplicium animos percellant magnificè & tragice sese iactant. Se solius Dei gloriam quærere, quęre se non intueri hostes, turbas, imò ruat mundus, modo inquiunt sit Dei gloria & Filij Dei ueritas sálua: hanc autem se uelle tantum ex sacris literis asserere. Abieciſſe alios multa Patrũ deliria & scholasticorum nugas pedibus conculcasse, interea tamen in hoc uitæ æternæ articulo multa ex illis arripere, & uerbũ Dei obtenebrare nouis nominibus introductis alienis à sacra scriptura. Equidem uoluntatem eorum laudo quicunque ex animo gloriæ Dei student, & quodeam ex sacris literis illustrare uolunt, probo. an autem omnia quæ nonnulli de Trinitate spargunt pro oraculis quibusdam, sacris literis confirmentur, & gloriam Dei illustrent, diligenter considerandum existimo. Neq; enim nobis de uerbis, ut aliqui arbitrantur, certamen propositũ est, sed de rebus ipsis, de quibus si inter nos cõueniat, nomina essentiæ aut personæ, aut alia eiusdem generis quibus ueteres usi sunt, non patiemur impedimẽto esse concordiæ. Quærimus quid sacræ literæ de diuino numine doceant, & nos hanc diligenter expendi

an id quod hæc nomina significant, in illis tradatur, qua in re si conueniamus facilè etiam in uerbis conueniemus: ubi uerò in rebus ipsis dissensio est, suspecta nobis & periculosa uidetur omnis receptorum nominum immutatio. Ac miror esse aliquos ex his qui nobis obijciant nomina à nobis usurpari quæ in scripturis non habeantur, cum illis subinde in ore sint nomina Dei essentiatoris & essentiati, quæ certè non à prophetis aut apostolis acceperunt. Nec tamē hoc reprehendimus quod nomina usurpent aliena à sacris literis, sed quod alienam quoq; ab illis doctrinam proponant. Quærunt enim Dei Patris & Filij ac Spiritus distinctionē in essentia, ita ut ea solius Patris propria sit: & aliā habeant Filius & Spiritus sanctus: ut aūt hoc probent omnia loca in quibus scriptura distincte de Patre & Filio loquitur accumulant, additis etiam multis quæ non ad rem præsentem faciūt: ubi autem unius Dei fit mentio, aut nomen Dei absq; attributo aliquo ponitur, aiunt solū Patrem intelligendum esse, quod hic sit unus Deus uerus & αὐτόθεος. Verùm hac ratione si alius Deus est Pater, & alius Deus est Filius, & alius Deus Spiritus sanctus, & quilibet distinctam aut diuisam ab altero habet essentiam, erunt omninò tres dij, quod quamuis neget tabulæ auctor, tamen id ex eius doctrina efficitur, & alij ex hac factione id apertè dicunt, & docent, Trinitatem esse unionem trium essentiarum, seu trium spirituū distinctorum. Nos uerò non Patrum deliria aut scholasticorum nugas, sed sacrarum literarum doctrinam secuti, docemus Patrem & Filium atq; Spiritum sanctum esse tres distinctas ὑπεστάσεις, hoc est ut quidam ueterum loquuntur substantias aut personas, quarū quælibet dicitur Deus: & quia sacræ literæ prædicāt unū esse Deum, credimus Patrem & Filium & Spiritū sanctum esse unū hunc Deum quem nobis scripturæ creden-

credendum & adorandum proponunt : ita ut ſit una eſſentia æterna, optima, ſapientiſsima, omnipotens, immenſa, immortalis, in qua tamen, ita ipſa ſe patefaciente, agnoſcimus & credimus in eadem deitate tres ut dixi ὑποστάσεις, non tria tantũ nomina, ſed tres perſonas, aut tres res ſubſtantiales, non tamen tres eſſentias, quoniã ὑπόστασις quam nos hic ſubſtantiã, alij ſubſiſtentiã nominant, plurimũ differt ab οὐσία, quam eſſentiã interpretamur. Quapropter etiã Sabelliani non ſumus, quamuis. n. unũ Deum unamq; eſſentiam credimus, non facimus tamen unum Deum trium nominum, ſed perſonas diſtinctas conſeruamus, ita ut Pater non ſit Filius, & Filius non ſit Pater: & libenter admittimus ut dicatur alium eſſe Patrem, et alium eſſe Filium, & alium eſſe Spiritũ ſanctum, non tamen addatur alium Deum eſſe Patrem, & alium Deũ eſſe Filium aut Spiritum ſanctum : nomen enim Dei cùm eſſentiam ſignificet, ex æquo ut eſſentia omnibus perſonis idem eſt, neq; relationem patitur. Itaq; falſum eſt quod auctor tabulæ ſcribit, quoties nomẽ Dei abſolute ponitur de ſolo Patre intelligendum eſſe: ut cũ dicitur, Audi Iſrael Dominus Deus tuus unus eſt. Nam hunc unũ Deum Iſraelis lex ab eo data adorare iubet. Chriſtus etiam inquit, Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſeruies: & per prophetã Deus inquit ſibi flectendum eſſe omne genu: igitur ſi Dei nomen hic ſolum Patrem ſignificat peccamus adorantes Filium, & malè apoſtolus ad Filium tranſtulit, illi flectendum eſſe omne genu. Deus qui unus eſt creauit cœlum & terram omnemq; hanc rerum uniuerſitatem, & hoc elogio ſe per prophetas ornat, & à falſis dijs diſtinguit : atqui Apoſtolus ad Coloſſenſes & ad Hebræos hoc Chriſto tribuit, quod per ipſum omnia condita ſint & conſiſtant. Iſraelitæ in deſerto tẽtarunt Dominum Deum ſuum, qui eos ex Aegypto

eduxit & se unum ac solum Deum ipsorum esse testatus est, Apostolus aũt hoc interpretatur de Christo, quem Israelitæ in deserto tentarint. Vnus ille Deus Israelitarum peculiariter sibi hoc nomen Iehouah uendicat, & tamen Apostoli ea quæ in prophetis de hoc uno Iehouah dicuntur, ad Christum accommodant, quod ipse sit hic Iehouah. Tribuitur quidem aliquando deitas Patri, ut cum Apostolus precatur Gratiam & pacem à Deo Patre & domino Iesu Christo, item cum meminit agnitionis, conspectus, gratiæ & pacis Dei & Domini Iesu Christi: uerùm hic Patri non ita tribuitur Deitas ut non eadẽ etiam sit deitas Filij, sed quia Mediatoris Dñi nostri Iesu Christi mentio fit, per quem nobis ad Deum accessus est, ideò Christus medius quasi inter Deum Patrem & nos interponitur non quod essentia, sed persona & officio alius sit: at cum essentiam respiciunt Apostoli Christum Deum super omnia benedictum, & magnum Deum, ac uerum Deum nominant. Itaque cum Apostolus ad Timotheum inquit, Vnus Deus, unus Mediator Dei & hominum homo CHRISTVS IESVS, non negamus unius Dei nomine posse Patrem intelligi, sed tamen contendimus Filium esse etiam unum Deum cum Patre si essentiam spectemus, id quod communi consensu Patrum doctissimi in huius loci interpretatione docent. Videtur quibusdam Paulus Patris & Filij Deitatẽ distinguere cum inquit, Tamen nobis est unus Deus, qui est Pater à quo sunt omnia, & nos in eo: & unus dominus Iesus Christus per quem omnia & nos per ipsum. Sed apostolus hoc loco Deum uerum à falsis dijs distinguit: inquit enim, Nam etiamsi sint qui dicantur dij, & in cœlo & in terra (sicut sunt dij multi & domini multi) nobis tamen unus est Deus Pater ille à quo omnia: itaque si Pater ita est unus ut Filius alius ab eo sit

Deus,

Deus, necessario Filius falsis dijs adnumerãdus erit: nam præter unum Deum nõ alios Deos agnoscit apostolus nisi eos qui dicuntur dij, & ut alibi inquit natura dij non sunt. Distinguit, fateor, Patrem à Filio Patriq; tribuit quod ab ipso sint omnia, quia ab ipso est origo in personarũ distinctione, ipse solus est ingenitus: quod Patri proprium est ratione personę, nõ autem in essentia discrimen facit, nam & Filij essentia est ingenita, unde Basilius inquit ἀγέννητος ἐστὶ λόγος τῆς ὑπάρξεως οὐ τῆς οὐσίας. Neque ideò Filius non est Deus à quo omnia, quia dicitur per ipsum omnia, nã harum prępositionum discrimen nullum in scripturis seruatur, quandoquidem apostolus ad Romanos, Ex eo inquit & per eum, & in ipsum sunt omnia: hoc siue de Patre siue de Filio intelligamus, siue Deo simpliciter attribuamus Patri Filio & Spiritui sancto, corruit illa ab Arianis conficta distinctio: qui diuersitate istarum prępositionum probare uolunt, diuersam aut distinctam esse Patris & Filij essentiam. Afferuntur pręterea multa alia ex Paulo quo probetur Patris & Filij eiusmodi distinctio, ut non sint unus Deus, quæ omnia commemorare longum esset, cùm in omnibus nõ essentia Filij à Patre distinguatur, sed Christus ut Mediator Patri conferatur, quod etsi ante dictum est non temere repeto. Ne tamen uidear ea uelle subterfugere aliqua apponam. Colossenses tertio, Vita nostra inquit abscondita est cum Christo in Deo. Loquitur hic apostolus de Christo ut Mediatore, qui à mortuis resurrexerit, & ad dextram Dei sedeat, num ergo essentiam ideò distinguit, aut propter dispensationem uerã deitatem soli Patri tribuit? Gratias ibidem iubet agere Deo & Patri per Christum, haud dubiè ut per Mediatorem. Ad Timoth. scribit apostolus, Denuntio tibi coram Deo qui uiuificat omnia, & Iesu Christo qui testatum fecit coram Pontio

Pilato bonam professionem. An obscurum est Christum hic ut Mediatorem à Patre distingui. Quod si Deus qui uiuificat omnia, ita de Patre dicitur ut non sit Filio proprium, quare ergo Apostolus Christũ uitam nostram nominat? quare Filius se dicit uiuificare quos uelit? quare Spiritus uiuificare dicitur? Ad Thessalonicenses scribitur pœnã daturos eos qui nõ nouerunt Deum, neq; auscultant Euangelio Domini nostri Iesu Christi. An non autem Deus hic quem illi ignorarunt, is Deus est cui illic apostolus tribuit iustum iudicium, regnũ pro quo fideles patiuntur, cuius sunt ecclesiæ quas Dei ecclesias nominat: quæro igitur an hæc solius Patris sint & non etiam Filij. Ad Philippenses, Pax ait Dei quæ superat omnem intellectum, præsidio erit cordibus uestris, & mentibus uestris in Christo Iesu. Sed si hæc pax Patris tantum est, alia ne erit ab ea in quam uocati sumus, ab ea pace quam Christus suam uocat, & se eam fidelibus dare & relinquere inquit: si pax hæc non etiã Christi est, frustra propheta Esaias ipsum principem pacis nominauit, & quidẽ eius pacis cuius nõ erit finis. Ad Thessalonicenses, Vt glorificetur inquit nomen Dñi nostri Iesu Christi in uobis, & uos in eo, ex gratia Dei nostri, & Dñi Iesu Christi. Sed quomodo glorificamur in Christo? Quod potentiam & robur ab ipso accipimus ut malis non cedamus, de hac enim glorificatione in persecutionibus hoc loco apostolus loquitur. Si hæc gratia solius Patris est, quare in eadem epistola Paulus precatur, ut Dñs noster Iesus Christus, & Deus ac Pater consoletur corda fidelium ac stabiliat: cur item inquit, Fidelis est Dominus qui stabiliet uos & tuebitur à malo. Si gratia Dei Patris tantum est, quare in fine epistolarum Paulus non Patris aut Dei, sed gratiam Dñi nostri Iesu Christi fidelibus optat. In Apocalypsi optat Ioannes pacẽ ab eo qui Est, qui

Erat,

Erat, qui Venturus est, & à Iesu Christo, qui fidus est ille testis, primogenitus ille ex mortuis. Quæro an nõ Christus reuelarit hæc Ioanni? utiq;. Nam ideo Apocalypsis Iesu Christi nominatur. Is aũt qui Ioannem alloquitur inquit, Ego sum A & Ω primus ille & ultimus. Et hæc dicere inquit Ioãnes eũ qui Est, Erat, & Vẽturus est. Quæro hic qui Vẽturus est, an nõ potius de Filio esset intelligendum, etiamsi Ioannes hoc non explicaret? Hæc tamen omnia non ideò adduximus, ut negemus Filium à Patre distinctum esse, sed ut ostendamus, ita esse distinctũ ut una eademq; sit utriusq; Deitas, ita ut quæ Deo simpliciter tribuantur in scripturis, nõ ita uni Deo Patri tribuantur, ut nõ etiã Filius Dei nomine intelligatur, etsi ut Mediator à Deo Patre distinguitur. Quòd si omninò ita unus Deus est Pater, ut Filius non sit idem Deus, ergo cum Christũ unum Dñm appellat apostolus, Pater nõ erit dñs, at qualis Deus erit absq; dominio? Si igitur ubiq; in sacris literis cum Dei nomẽ absq; adiuncto aliquo Filij aut uerbi nomine ponitur, solus Pater significatur, quid dicemus de dicto Christi, Nemo est bonus nisi unus Deus, negabimus ne Christũ bonũ esse, num etiã negabimus eum esse æternũ, immortalem, inuisibilem, sapientẽ, quandoquidem hæc soli Deo tribuit apostolus ad Tim. Respondent Filiũ hęc oĩa habere sed depẽdenter, Patrẽ uerò independenter. Nã Patrẽ esse ingenitũ & ἀυτόθεον, Filium à Patre essentiatũ esse, itaq; habere eũ ęternitatẽ, immortalitatem, bonitatẽ, & reliqua à Patre. Et hæc quidẽ exponunt uerbis paucis, erroribus multis. Cùm. n. Filiũ à Patre essentiatũ esse dicunt, uidentur præsupponere prius Patrẽ fuisse, & deinde ex eo Filiũ natum esse, ac ita suam essentiam accepisse à Patre quemadmodũ fit in generatione humana. Filiũ item faciunt Patre minorem, si. n. Pater omnia habet à seipso, nihil aũt à seipso Filius ha-

bet, ingens inter ipsos discrimẽ et tale statuitur quod uix ullam cõparationem admittit. Ponunt essentiam generare & generari, cùm tamen in his rebus inferioribus & imperfectis non essentia generet, sed res subsistens. Non negamus Filium habere essentiam à Deo Patre, sed essentiã genitam negamus. Et cùm dicimus Filium essentiam à Patre habere, credimus illum, & eandem & totã à Patre habere, atq; hoc ab æterno. Si enim nõ habet essentiã Patris, est diuersus Deus, imò non est Deus. Sin eam habet totam & æqualis est Patri, tum eadem erit utriusq; essentia, nam æqualitas in essentia est identitas: si aũt non habet totam, non est Deus, aut esset Deus cũ defectu, id enim non haberet quod illi deest, & in Patre est: deinde statueretur hac ratione essentiam Dei quę simplicissima est, in partes posse diuidi, quod est falsissimum. Sin uerò dixerint illum non habere essentiam Dei, sed esse ex essentia Dei, hoc enim cauillo utuntur, generationem eius tollunt, in rebus enim naturalibus omne quod generatur non tantum fit ex essentia aut substantia alterius, sed eam in se habet non totam sed ex parte, ob harum rerum imperfectionem, in diuinis aũt non pars sed tota essentia generantis communicatur. Verùm de his nunc disputare non est mei propositi, quando quidem iam dudum hos errores diligenter confutarunt cũ alij tũ præsertim qué honoris causa nomino Ioannes Caluinus ecclesiæ Dei decus, qui primũ Serueti & postea Valentini quoq; Gentilis blasphemias doctissime cõfutauit, & nuper breui ad uos honorandi fratres admonitione conscripta, paucis multa cõplexus est quæ ad hanc causam faciunt. Equidem meliora spero de tabulæ auctore quisquis is tandem fuerit, neq; enim in eas blasphemias erumpit quas Gentilis eructauit, & quidam alij clanculum susurrare solent. Sed tam ẽ ea semina iacit, ex quibus deinde magna

gna impietatis meſsis oritur. Nã ſi uoluerimus in Tri nitate talem diſtinctionem conſectari, quæ eſſentiam Patris à Filij eſſentia diſtinguat, ita ut in Patre tantũ uera deitas remaneat, ſtatim hinc conficietur Patrẽ & Filium duos eſſe Deos, & quidem admodum inęquales. Hoc aut aſſerere adeo impium & à ratione alienum eſt, ut ipſe Arius huius impietatis patronus, maluerit Filiũ Dei creaturã dicere quàm duos Deos fateri. Poſito autem ſemel hoc fundamẽto aliam eſſe eſſentiam Patris quàm Filij, cum deinde incarnatio Filij explicanda eſt, bone Deus quæ portenta commi niſcuntur nonnulli, quantam confuſionem introducunt, dum ea quæ humanæ naturæ ſunt, omnia ipſi deitati tribuũt omniaq; quæ de Chriſto dicta ſunt in ſacris literis, ſimpliciter & abſq; omni tropo intelligi debere contendunt. Quæ cum ita ſint, Fratres honorandi, ueſtræ pietatis & prudentiæ erit uigilare, & cauere ne impium hoc ſemen ſatan in eccleſijs ueſtris ſerat: nam ſi radices egerit, nunquã poterit niſi cum magno motu & turbatione eccleſiarum denuo extirpari. Quas enim turbas olim in eccleſia excitarit Arrius, cuius errores nunc alio nomine & titulo renouantur, omnes hiſtoriæ teſtãtur. Quamuis autem pij principes ſynodis multis malum hoc compeſcere conati ſint, ſemper tamen aliqui fuerunt, qui illud alijs uerbis, quaſi alia ac noua quadam ueſte tectum & ornatum in publicum producerent: donec tandem omnis hæc impietas, in Mahometaniſmum quaſi quandam omnium hæreſeon ſentinam confluxit. Eſt ſcilicet humanis ingenijs inſita quædam curioſitas, quæ cum in alijs rebus ſæpe pernitioſa eſt, tũ maxime ubi ſe ad diuinam maieſtatem ſcrutandã contulerit: cuius gloria acies humanæ mentis quantumuis perſpicax opprimitur. Quare illi rectiſsimè conſulere uidetur, qui iubent huiuſmodi curioſas quæſtiones omni ſtu-

dio uitare, & acquieſcere ſimplici doctrinæ quã nobis tradunt ſacræ literæ. Multa quidem præclare à Patribus de Trinitate ſcripta ſunt, poſtquam Arrius hac de re controuerſiam mouit, & legibus quoq; Imperatorijs prohibitum eſt, ne quis puram hanc & catholicam Patrum doctrinam è ſcripturis deſumptam impugnet, uerum ab his hominibus & hic Patrũ conſenſus ſpernitur, & leges ab ipſis Leguleis qui ſunt ex hac factione negliguntur, tantum quæ obſcurius dicta ſunt à uetuſtioribus antequam ulla hac de re cõ trouerſia eſſet colligunt. Itaq; ego nunc neq; ad Patres neq; ad leges, ſed ad ſcripturas de quibus gloriantur eos prouoco. Ille igitur & præterea ipſa ratio docet nos Deum eſſe ens ſummum & unicum, atq; ut Tertullianus loquitur ſummum magnum, & forma & ratione & ui & poteſtate: itaq; cum Deus nominatur, omnes animo cõcipimus Deum eſſe ſummũ quid, quo nihil melius, nihil maius & præſtantius eſſe poſſit. Rurſus eadem ſcriptura prædicat nobis Patrem Filium & Spiritum ſanctum, & Patrem uerũ Deum, & Filium uerum Deum, & Spiritum ſanctum uerum Deum eſſe teſtatur. Hæc tamen cum audimus non dicimus tres eſſe Deos, quia unum Deum ſcriptura prędicat, & Deus ſi non eſt unicus non eſt Deus, quia non eſt ſummus: quare etſi tres nominari audimus unum tamen Deum credimus, unam ſcilicet naturam ſeu eſſentiam omnibus tribus communem: & rurſus, quia certis proprijsq; notionibus eadem ſcriptura Patrẽ à Filio & Spiritu ſancto diſtinguit, rurſus illi fidem habemus eſſe hanc diſtinctionem ueram, qua re non tantum nomine diſtinguantur. Ratio quidem hic hæret quomodo Deus ſit trinus & unus, & ideo pleriq; acuti homines hanc doctrinam impugnãt, quod eam non poſſunt ratione comprehendere, ſed in hac quęſtione, ut bene monet Athanaſius, etiamſi te nõ expli-

ces,

es, non eſt ideo diffidendum ſacris ſcripturis, quo niam melius eſt hæſitabundos ignorata cauſa tacere & credere, quam ideo non credere quia hæſites. In hac fidei ſimplicitate ſcimus multa cauillari homines ſciolos, qui in his rebus acumen ſuũuolunt oſtendere, ſed eorum ſophiſmata facile retundere & cauere poteritis, ſi ſcripturarum lumine adhibito non tantum obiter initia & ſemina huius aduerſæ doctrinæ conſideraueritis, ſed flores & fructus impiorũ dogmatũ qui ex his oriuntur. Qua in re obſeruanda ſtudium & diligentia adhibenda eſt, propterea quod huius erroris patroni ſuam impietatem non ſtatim produnt, ſed initio in paucis ab uſitata doctrina recedũt, donec ſe in animos hominum penitus inſinuarint: tum enim demum libere ſuam impietatem effundunt. Itaq; quidam huius factionis princeps inter ſuos apertè docet duos eſſe Deos, & multa impie de incarnatione Dei nugatur, quæ eius diſcipuli apud uos forte adhuc uix muſsitare nunc audent: uerum ſi locum nanciſcantur & tempus idoneũ, tum demũ aperte Arrianiſmũ eos prædicare uidebitis. Turbauit aliquandiu eccleſias ueſtras Stancarus, ſed mihi credite plus eſt periculi ab his qui ſe amicos nobis in eo impugnando ſimulant, quàm ab eius aperta maledicẽtia. Nõ ſumo mihi tantum ut exiſtimem me affirmare poſſe quo animo quiſq; doceat: ſed tamen niſi me multæ & graues cõiecturæ fallunt, pleriq; ex his qui nouas has de Trinitate quæſtiones mouent, non tam Chriſti quàm ſuã gloriam quærunt, & nõ eccleſiæ utilitati ſed ſuo commodo ſtudent: atq; ueſtra bonitate abutuntur. Nam ut olim pſeudoapoſtoli Corinthios ſic nonnulli horũ uos quoq; conantur in ſeruitutem redigere, extollũt ſeſe ut uos exedant & à uobis accipiant. Quare magnifici domini & Fratres honorandi euigilate & in tempore horum inſidijs occurrite: ac uos quidẽ qui-

bus docendi munus commissum est, non patiamini uos seduci horum hominum astutijs, ut aliquid noui tatis studio à ueritate simplicis doctrinæ recedatis: uos etiam Magnifici domini patroni ecclesiarum, ne faciatis ecclesias uestras asylũ ambitiosorum & contentiosorum hominum, qui religionis titulo nõ tantum optime institutas ecclesias, uerum etiam ipsam Christi gloriam, quam nos defendimus, impugnant: nolite quæso pati ut illi diutius pijs illudãt, & ita turpiter uestra bonitate & libertate abutantur. Agnosco quidem in me non esse authoritatem aut doctrinam tantam, ut uos admonerè aut uobis consiliũ dare possim: ueruntamen ardore quodam & studio uestri accensus, non potui cum Stancaro respondissem, uos nõ alterius periculi admonere, quod mihi priore gra uius esse uidetur: cupio autem Fratres hæc accipi eo animo quo à me scripta sunt, ut hæc omnia ad Dei gloriam, pacem & salutem ecclesiarum faciant id quod unice hæc scribendo spectaui. Deus gubernet uos spiritu suo, errores eorumque auctores confundat, & exoptatam ecclesijs pacem restituat.

AMEN.

RESPONSIONIS AD LIBRVM FRANCISCI STANCARI Pars prima, in qua origo huius controuersiæ exponitur, & Stancari rationes atq; absurda quæ ex nostra doctrina confici ait, refutantur.

SI omnes qui nostra ætate de adorandis mysterijs sacræ triados, & de unius ex illa Dei Verbi incarnatione, nouas subinde cõtrouersias mouẽt, aut iam olim bene sopitas rursus excitant, secũ diligenter expenderent quod à Christo dictum est, eos demum Deum uidere qui sint puro corde, minus controuersiarum hodie esset in ecclesia, maior autem in hominibus eluceret religio et uitæ sanctimonia. Nũc uerò quando ubiq; ab hominibus, uti ipsorũ scripta ostendunt, ambitione & fastu inani tumentibus, in uulgus sparguntur noua & absurda dogmata, aliena à puritate ueteris & apostolicæ doctrinæ, fit plerunq; horum improbitate ut illi etiam ad scribẽdum prodeant, qui alioqui quietis studiosi latere ac tacere mallent. Quod ipsum mihi quoque accidit, qui maxime, si quis alius, à contentionibus huiusmodi hactenus abhorrui. Nam cùm nuper Franciscus Stan-

earus librum plenū maledictis & calumnijs in publicum edidisset, in quo cùm omnes ecclesiæ Tigurinæ ministros, tum præcipue & nominatim Martyrem & Bullingerum hæreseos damnat, & interea temporis Dominus Martyrem ex hac uita in cœlos euocarit, Bullingero autem partim uoluntas, partim ocium respondendi defuerit, ego cùm eius uoluntate & iussu impulsus, tum officij mei ratione inductus, ecclesiam nostrā aduersus impudentes maledici homi nis calumnias defendere uolui. Quāuis enim uiri boni et docti qui ecclesiæ nostræ doctrinam norunt, & nostrorum scripta legerunt absq; responsione facile iudicare possunt, quid Stancari calumnijs tribuendum sit, habenda tamen fuit simpliciorum ratio, in hac præsertim de Meditatore controuersia, quæ cum ignota fuerit doctæ uetustati, nunc cum misera ecclesiarum laceratione uarijs in locis acerrimè discep-

Quæ controuersiæ fuerint apud ueteres de Mediat. Athan. sermone 3. contra Arrian.

tatur. Veteres enim in Christum Deum & hominem mediatorem suum credentes, hac fide contenti nusquam de eo contenderunt secundum quam naturam hoc officium exequatur, tantum modò obiter aliquando huius quæstionis meminerunt. Olim quidem Arriani Verbum Mediatorem esse docuerunt, uerum alia ratione: dicebant enim Deum uolentem creatitiam naturam producere cum uidisset eam puritatis suæ & architectationis participem esse non posse, condidisse & fecisse unum eumq; appellasse suum Filium & Verbum, ut illo condito reliqua deinde per eum condi possent. Hunc ergo Filium seu Verbum aiebant inferiorem esse Dei & Patris sub-

Cyrillus lib. 1. de Trinitate.

stantia

ſtantia, meliorem autem creaturarum naturam, ideoq; mediatorem Dei & hominum dictum eſſe ipſius eſſentiæ ſeu naturæ ſuæ ratione. Nos uero atq; Stancarus, cum quo nobis controuerſia eſt, pariter confitemur Mediatorem noſtrum quoad diuinam naturam eiuſdem eſſe cum Patre naturæ & eſſentiæ, ſeu ut Græci loquuntur ὁμοούσιον eſſe Patri. Illud tantùm quæritur, cum duarum naturarum ſit noſter Mediator, ſecundum quam officium ſuum exequatur & homines Deo reconciliet. In Græcorum recentioribus hiſtorijs legimus ſub Manuele Comneno diſceptatum fuiſſe, de hac ſententia qua dicitur τὸν σαρκωθέντα θεὸν προσφέρειν & ὅμου καὶ προσδέχεσθαι, hoc eſt Deum qui carnem aſſumpſit offerre & ſimul ſacrificia ſuſcipere: etſi autem huius quæſtionis explicatio diſerta non ponitur, uidetur tamen hæc controuerſia præſenti haud omnino diſſimilis fuiſſe, quærebatur enim quomodo filius Dei potuerit eſſe uictima pro noſtri reconciliatione, & ſimul is quē huiuſmodi uictimam ſuſcipere & acceptare oportebat. Nunc item quæritur quomodo filius Dei ſacrificio et precibus deo nos reconciliarit, an hoc tantū ad humanam naturam debeat referri, an etiam ad diuinam, ſecundum quam eiuſdem naturæ & potentiæ ac maieſtatis eſt cum Patre & Spiritu ſancto.

Nicetas Choniates.

Originem uerò & cauſam huius controuerſiæ et ſi non poſſum certò & exactè oſtendere, nihilominus tamen indicabo id quod hac de re partim ex uiris bonis & fide dignis cognoui, partim etiam coniecturis conſequi potui: faciet enim hoc ad id ut tota con-

Origo cōtrouerſiæ de Mediatore.

trouersia melius posßit cognosci. Inter eos qui præ se ferunt puræ religionis studium, nonnulli homines docti et ingenioßi, & inter hos præcipuè aliqui Italicæ nationis; cœpere cõuellere ueterem ecclesiæ doctrinam de sancta Trinitate, forte ut in hac re ingenij sui acumẽ, quo se præ cæteris nationibus pollere existimant, ostenderent. Horum cum uariæ sint & discrepantes sententiæ, pleriq; tamen in eo maxime elaborant ut doceant nomen Dei soli Patri conuenire, quoties absq; ullo adiuncto ponitur, ab hoc genera-tum esse filium, qui suam à Patre essentiam acceperit, ideoq; non sit ἀυτόθεος, sed tamen Deus nominetur cum aliquo adiuncto, ut Deus Verbũ, Deus de Deo, & filius Dei. Aiunt hunc Patri consubstantialem esse, sed ita quemadmodum Petrus ac Paulus, aut ego & tu consubstantiales sumus: unum etiam esse cum Patre, non quidem identitate essentiæ, sed coniunctione uoluntatis, sicuti & in legibus Pater & filius pro una persona accipiuntur. Vt autem hanc suam doctrinam confirment inter alia quærunt, An ueteres antè Christi aduentum habuerint Mediatorem aliquẽ, nec ne? Si dicas nullum habuisse, quærunt & quidem meritò, quomodo à Deo sint exauditi, cur nos Mediatore opus habeamus, quo tamen illi absq; ullo discrimine salutis carere potuerint? Sin dederis eos Mediatorem habuisse, denuo interrogabunt, An Filium Dei habuerint, an alium? alium dicere non poteris, cum apostolus testetur unum duntaxat esse Mediatorem Dei & hominum: quod si concedas Filium Dei Mediatorem ueterum fuisse, quia tum nondum

assum-

assumpserat nostram carnem, eum quoad naturã diuinã Mediatorẽ esse inferent, & ex eo conficere conabuntur, ipsum & Patre minorem & quoad essentiam ab ipso distinctum esse. Has autem consecutiones uiri boni & docti falsas esse, alij quidem alijs rationibus ostenderunt, quas nunc commemorare non necesse est, sed Franciscus Stancarus quia ex suo Sententiarum magistro hauserat Christum Mediatorem esse tantum secundum humanam naturam, eam sententiam in refellendis nouis Arrianis ita amplexus est, ut nimio contentionis studio in cõtrarium errorem inclinare uideatur. Atq; ut olim Dionysius Alexandriæ episcopus nimio ardore disputandi contra Sabellium, quædam scripsit ex quibus deinde suũ errorem Arius hausit, ita Stancarus dum nouos Arianos, ut ait, impugnat, aliquando ea scribit & docet ex quibus plerique existimant ipsum ueteres Sabellij & Nestorij errores fouere. Præterea eam uiam defendendi sua dogmata ingressus est, ut omnes qui aliqua in re à se dissentiunt, & præscriptis à se dicendi formis non utuntur, eodem loco cum Arianis habeat, & simul omnes una sententia hæreseos damnet. Itaq; omnes Tigurinæ ecclesiæ ministros, ut nihil aliud dicam, certe de ecclesia Christi non male meritos, hic Theologorum omnium suo iudicio Aristarchus, peßimos hæreticos appellat, & Arrianos, Eutychianos, Manichæos, Apollinaristas, Timotheianos, Acephalos, Theodosianos, Gaianitas & quid nõ nominat, corruptores inquit esse fidei catholicæ, ecclesiæ Dei perturbatores, blasphemos & quidem in

ſpiritum ſanctum. nam quod præterea grammaticos & quidem indoctos nos nominat, puerile & ridiculum eſt, cum nemo noſtrum unquam uti ipſe de ſcientia peculiari gloriatus ſit. Illa autem atrocia crimina & odioſa nomina antiquarum hæreſeon, non ego longa oratione uel à noſtra eccleſia depellam, uel quod non difficile erat, in eum retorquebo, ſed me ad ipſius controuerſiæ explicationem conferam, hac enim diligenter cognitâ ſponte aduerſarij conuicia & calumniæ ruent. Et quia primum ipſe ſuam ſententiam tueri conatus eſt, adductis & proprijs rationibus, & abſurdis dogmatibus quæ ex noſtra doctrina conſequantur, deinde uerò certa loca duarum epiſtolarum, quas noſtra eccleſia in Poloniam miſit, uellicanda putauit, & poſtremò Patrum teſtimonijs quæ noſtri adduxerant reſpondere uoluit. Sequar eundem ordinem in confutando, & ab initio rationes eius refutabo, & oſtēdam id quod ipſe uult ex noſtra doctrina non conſici. Poſtea in ſecunda & tertia parte huius libelli, ſingula loca utriuſq; epiſtolæ ſeparatim ab eius calumnijs aſſeram, & poſtremò demonſtrabo teſtimonia Patrum firmiter tueri eam ſententiam cuius confirmandæ cauſa adducta fuerunt.

De proprietatibus perſonarum in Trinitate.

Quoniam uerò totius ſuæ confutationis fundamentum eſſe uoluit, expoſitionem proprietatum triū perſonarū in ſancta triade, ego quoq; hinc reſponſionem incipiā. Accuſat autē primū nos craſſæ ignorantiæ aut blaſphemiæ in ſpiritū ſanctū, quod ueras diuinarum perſonarū proprietates, quæ ſint Paternitas, Filiatio

Filiatio & Proceßio, uel ignoremus, uel nobis notas consultò prætereamus. Nō utar hic excuſatione iuſtiſſima, ut dicam hæc in alijs noſtrorum hominum ſcriptis & diligenter & copioſè expoſita eſſe, in unica autem & breui epiſtola non potuiſſe nec debuiſſe omnia comprehendi, ea præſertim de quibus nulla eſſet controuerſia, hoc tantum dico nominibus poſitis Patris Filij & Spiritus ſancti, has proprietates expreſſus fuiſſe. Nam Patres uetuſtiſſimi cùm in ſancta Trinitate perſonas diſtinguunt, utuntur tantùm nominibus Patris Filij & Spiritus ſancti, & Patrem hoc ab alijs differre aiunt, quod Pater ſit, non autem Filius aut Spiritus ſanctus: Filij item proprium eſſe quod Filius ſit, nō autem Pater aut Spiritus ſanctus. Spiritus ſancti quod non ſit Pater neq; Filius. Pater inquiunt ſemper Pater, Filius ſemper Filius, Spiritus ſanctus ſemper Spiritus ſanctus. Imò Stancarus ipſe ex ſuo Sentētiarum Magiſtro docet has proprietates deſignari ipſis nominibus Patris Filij & Spiritus ſancti, quæ relatiuè dicantuè. Cum autem hæc nomina ut propria trium diſtinctarum perſonarum diſertè à noſtris poſita ſint, qua fronte auſus fuit ſcribere, uel craſſa ignorantia, uel malitioſa blaſphemia in Spiritum ſanctum ueras proprietates à noſtris fuiſſe omiſſas. Sed condonemus hoc ipſius præcipitantiæ in alijs damnandis, uideamus quid addat, Hæreticum inquit eſt miſſionem aut incarnationem facere proprietatem Filij? Itane uerò hæreticum erit quicquid Stancarus damnauerit? Non enim inquit ſunt plures nec pauciores proprietates perſonarum in diuinis,

Proprietates ipſis nominibus perſonarum exprimi.

Aug. ſer. 190.

Non tantū 3. proprietates eſſe.

quam tres illæ quas posui? Verùm hoc tibi neq; scholastici tui cõcesserint, quorum authoritatem, ut alijs hoc liceat, certè Stancaro defugere non licet, qui eorum Magistrum omnibus qui unquam fuere scriptoribus anteponat. Inter hos autem antesignani Scotus & Thomas, plures tribus proprietatibus constituunt. Ille enim opinionem Præpositiui refellens, Plures inquit proprietates sunt in eadem persona, sicut in Patre innascibilitas & generatio actio. Hic uerò Prima primæ q. 32. quatuor ponit personarum proprietates. Alibi quidem inquit, tres tantum esse personales notiones & proprietates, quas etiam nonnulli Scholasticorum constitutiuas uocant, sed hoc nostræ sententiæ nõ aduersatur, quoniam missionem & incarnationem Filio non ita tribuimus, quod hæc in diuinis personam constituant. Eodemq; modo Stãcari argumentũ, Si Filij proprietas sit missio aut incarnatio, Filium non fuisse ab æterno, quoniam missio et incarnatio non fuerũt ab æterno, corruit. Nam firmamentum huius rationis, proprietatem & essentiam constituere personam, uerum est de proprietatibus constitutiuis quas Patris & filij atq; Spiritus sancti nominibus expressimus. Cum autem proprij nomẽ uarie accipiatur, uti Aristoteles et Porphyrius docent, nobis non propositum fuit constituentes tantum proprietates explicare, sed ostendere aliqua proprie dici de Filio, ut de Patre aut Spiritu sancto eadem ratione non dici possint. Sic etiam proprie Filius Verbum, & Imago, Character, Ἀπάυγασμα paternæ substantiæ et gloriæ nominatur. Quamuis autem

Lib. 1. distinct. 26.

Incarnationẽ esse proprietatem Filij.

non

non sit incarnatus ab æterno, tamen hoc non obstat quo minus incarnatio proprie illi attribuatur. Deus mundum non creauit ab æterno, & tamen nihilominus creatoris nomen illi proprium est: quoniam ut Scholastici aiunt, etsi non creans tamen creatiuus ab æterno fuit: ita Filius etsi non ab æterno carnem assumpsit, tamen æterno deitatis consilio decretum fuit, personam non Patris aut Spiritus sancti, sed Filij debere incarnari. Nos quoq; nec soli nec primi incarnationem esse proprietatem Filij diximus, sed ita iam olim ante nos sancti Patres locuti sunt. Cyrillus namq;, ut huius primum mentionem faciam, aperte incarnationem proprietatem Filij nominat, non quidem quantum ad ineffabilem ex Patre generationem, sed ea ratione qua homo factus est. Nos quoque non de ineffabili generatione locuti sumus, sed de illis proprietatibus per quas in scripturis nobis personæ distinguntur. Porrò eodem modo de personarum distinctione differens D. Vigilius episcopus & Martyr ita scribit, Sed ne forsan inopinata quæstione turberis, audi per singula. Susceptæ carnis dispensatio nec ad Patrem, nec ad Spiritum sanctum, sed ad solũ pertinet Filiũ. Proprie enim Filius, non Pater de uirgine natus est. Rursus illa quæ sæpe audita est uox, Hic est Filius meus dilectus, nec ad Filium, nec ad Spiritum sanctum, sed ad Patrem pertinet solum. Item columbæ species quæ in Iordane apparuit, & ignearum linguarum multipertita distributio, propriè ad Spiritus sancti personam pertinere monstratur. Sed ne adhuc de his proprietatibus dubites, audi ma-

In Ioan. lib. 11. cap. 20.

Lib. 1. cõtra Euty. chen.

nifestius, proprium Patris est genuisse, & propriũ Filij natum fuisse, proprium uerò Spiritus sancti est procedere, nec omnino reciprocari alteram personam, quod est unicuiq; personæ specialiter propriũ. Idem quoq; eodem libro sic scribit. Nam dum se contra Sabellium armigero certamine aptaret Filij atq; Spiritus sancti personarum extantias uindicat, quod alius sit qui gignit & alius qui gignitur, & alius sit procedens, alius de quo procedit, alius mittens, alius missus, alius Deus Verbum qui de uirgine nascitur, alius Pater qui permanet semper innatus, alius qui per dispensationem carnis cuncta nostræ fragilitatis officia explet, alius Pater qui sine his omnibus manet. Hormisdas quoq; Romanus episcopus in epistola ad Epiphanium Constantinopolitanum ita scribit: Ideoq; unam & non diuisam confitemur Trinitatis substantiam, & tamen propriam proprietatem scimus unicuiq; esse personæ. Vnam enim Patris confitemur esse personam, unam Filij Dei cum assumpta carne, unam Spiritus sancti: & personas proprietatibus significatas, & per unitatem substantiæ inseparabile Trinitatis cõfitemur mysterium. Neq; enim possibile est dubitare, Verbum Dei in uisceribus matris per carnem humanam assumpsisse naturam, &c. Quin & Rusticus diaconus contra Acephalos disputans, quomodo Verbi persona et natura coniuncta aut unita sit carni, inter alia ait, Inhumanatio autem non Trinitatis communis, sed propria solius est substantiæ Verbi. Præterea ubiq; in ueterum libris, præsertim eorum qui Sabellianos refutarunt,

In 5. Synodo actione 1.

runt, occurrunt testimonia densissima, Filium tantum non Patrem aut Spiritum sanctum assumpsisse humanam naturam: hoc si Stancarus fatetur, quod certè faciet, si non apertè cum Sabellio Iudaizat, quare negat Filij proprium esse quod illi uni & soli conuenit in sancta Trinitate? Si autem reipsa aliter sentit, apertè hoc profiteatur: si de re illi non est controuersia, cur ecclesias turbat inani λογομαχίᾳ?

Sed quia de hac re satis illi respondisse uideor, ueniam nunc ad ipsius rationes, & ad ea quæ ipse ex nostra doctrina confici ait, falsa et absurda, quæ sunt quatuor numero. Primum si Mediator sit secundū utramq; naturā, diuinitatē eius in seruilem conditionē conijci: deinde statui personalem operationē in Trinitate & personas separari: præterea Filium fieri Mediatorem suijpsius: postremò in Christi persona naturas confundi, & contra Patrum decreta unam personalem operationem constitui. Continet hæc accusatio grauia quædam crimina, & errores aliquos qui non tantùm uerbis confutandi, sed pœna & supplicio coercēdi essent: atrox itaq; iniuria est, si falsò (quod me probaturum confido) tantorum criminum accusamur. Quod ut exactius dijudicari queat, initio ipsius Mediationis ratio & natura diligenter perspicienda est. Mediatoris munus uel ipso Stancaro teste, est dissidentes unire, conciliare, pacificare & in concordiam redigere. Ac uulgò quidem creditur munus hoc inferiori alicui conuenire erga hominem ipsi longè præstantiorem, quod tamen non in uniuersum uerum est: sæpè enim principes utri alios

Mediationis ratio & modus.

Non semper minor est qui mediat.

qui ipsis pares aut dignitate multò inferiores sunt, inter se conciliant: sic enim Cyrus Armenios et Chaldæos antè perpetuò hostes, inter se reconciliauit, nõ quidem alterutra partium inferior, sed potius ambarum uictor: sic etiam Ciceronem Vatinio reconciliarunt Cæsar & Pompeius, Cicerone si non superiores dignitate, saltem pares. Ideoq; cum falsum sit omnem qui apud alterum sequestri munere fungitur eo inferiorem esse, falsum etiam est, quod hinc conficitur à nonnullis, Christum si quoad diuinam naturam noster Mediator sit, Patre inferiorem esse. Verumtamen nos huic responsioni non insistentes, si forte quis dicat, aliam huius mediationis rationem esse qua nos homines Deo reconciliamur, quæ nam illa ipsa sit perquiremus, & an Christo ita secundum utramq; naturam conueniat, ut nihil diuinæ eius maiestati decedat, examinabimus. Veteres itaq; Theologicæ disciplinæ principes, quandoq; huius Mediationis rationem in eo positam esse docent, quod æternus Dei filius nostram naturam assumpsit, ita ut una sit hypostasis, Dei uerbi & humanæ naturæ ab ipso assumptæ. Hãc duarum naturarum arctissimam cõiunctionem, mediationem illi nominarunt, eò quòd per incarnationem Filij Dei, non tantùm ea caro quæ ab ipso in unionem personæ assumpta est, Deo coniuncta & conciliata fuit, sed tota humana natura, propter uim & efficaciam, quæ ex hac unione ad nos omnes redundat. De hac mediatione Cyrillus grauissimus author sic scribit: Mediator igitur & hac ratione intelligitur, quia ostendit in seipso collatas &

Mediatio posita in unione duarũ naturarũ in Christo.

Dial. 1. de Trinit.

tas & unitas diuinitatem & humanitatem, quæ secundum naturam ualde discretæ sunt, & magnum habent interstitium, & coniungit nos per se Deo & Patri. Nam Deo est cognatus, quandoquidem ex eo est, & in eo: sed & nobis quoq; cognatus est, quandoquidem ex nobis est & in nobis. Neq; nobis alienus est secundum humanitatem Emanuel, sed per omnia absq; solo peccato assimilatus. Eandem rationem mediationis Theodoretus quoq; describit his uerbis. Quinetiam ipsum nomen intercessoris hic & diuinitatem & humanitatem significat. Neque enim si Deus solum esset appellatus fuisset intercessor. Quo modo enim inter nos & Deum interceßisset, si nihil nostri penitus habuisset? Sed quoniã Patri, ut Deus, coniunctus est, ut qui eandem habeat substantiam, ut homo autem nobis, à nobis enim accepit serui formam, meritò intercessor dictus est, unitate naturarum diuinitatis inquam & humanitatis, ea quæ sunt distantia & disiuncta coniungens. Hanc igitur mediationis rationem de qua hi Patres loquuntur non ambiguum est Christo conuenire quoad utramq; naturam. Verùm præter hanc duarum naturarum unionem in una hypostasi, certa quoq; sunt Mediatoris opera quibus nos Deo reconciliamur, quorum quædam præstantia sunt & diuina, quæ diuinæ naturæ sunt propria, quædam humilia & seruilia, quæ propria sunt formæ serui, naturæ inquam humanæ, ueluti sanguinis effusio, preces supplices cum lachrymis & gemitu, sacrificium in ara crucis, mors denig; acerbißima. In his autem uis & efficacia, ut nos

Dial. 2. Eranist.

Opera Mediatoris.

Deo reconciliare ualeant, profluit à diuina natura quæ cum humana in una persona coniuncta est, nam alioqui nudi puriq; hominis preces, supplicium, mors nos non potuisset Deo reconciliare. Quare etiam secundum diuinam naturam Christum Mediatorem nostrum esse dicimus, eò quòd illa faciat opera hæc efficacia ad uniendum nos Deo. Dicat forte aliquis passionis Christi efficaciam etiam ab eo pendere, quòd in una persona patientis coniunctæ fuerunt duæ naturæ diuina & humana, & tamen nihilominus scripturas dicere Christum passum carne, hoc est tantum quoad humanam naturam. Dico nomẽ passionis tantum significare perpessionem ipsam, efficaciam autem huius actionis nomine ipso passionis non significari, de quouis etiam homine dici potest, illum hoc uel aliud quid, cùm pro seipso, tum etiam alterius gratia passum esse: & cum omne id quod hoc nomine significatur seruile sit, iure illud deitati non tribuitur, ut eam passam esse dicamus, nisi improprie seu figuratè. At alia est mediationis ratio, hoc enim nomẽ officij est, et non tantum sub se actiones illas seruiles complectitur, sed & alias præstantiores, & præterea horum operum quæ commemorauimus uim & efficaciam in se implicat. Neque enim de quoquã hominum dici potest, eum Dei & hominum mediatorem esse, etiamsi is preces fundat cum lachrymis & gemitu, cruci affigatur, mortem pro nobis oppetat, nisi his actionibus Deum reconciliet, quod unius Christi opus esse sacræ literæ testantur. Ratione igitur efficacitatis horum operum quam

Christus quoad diuinam naturã Mediator qui ex ea est efficacia mediationis.

quam nomen ipsum complectitur, Mediatio de utraque, passio autem de altera tantum natura dicitur. Eadem de causa quandoque Verbo Patres tribuunt quod nos Deo reconciliet, quandoq; etiam sacrificare & alia opera eidem adscribunt, quod nostra reconciliatio, & sacrificij pro nobis oblati vis & efficacia, pendet ab eo quod Verbum carni unitum est. Vnde Gregorius Nissenus, Per hunc eundem intellectum inquit, Dominus etiam Mediator Dei & hominum nominatur à Paulo. Nam qui in Patre est, & inter homines uersatus est, in hoc exequitur & implet mediationis & intercessionis suæ munus, quod secum omnes unit & per se cum Patre: quemadmodum Dominus ipse inquit in Euangelio ad Patrem uerba faciens: Vt omnes unum sint, sicut tu in me, & ego in te: ut eodem modo illi quoq; in nobis unum sint. Quibus uerbis apertè demonstrat, quod dum nos secum unitos reddit, qui in Patre est, per seipsum eam quæ cum Patre est coniunctionem & commissuram nostri efficit. Atq; etiam ea quæ sequuntur in Euangelio, concordant cum ijs quæ dicta sunt, nempe, Gloriã quam dedisti mihi dedi eis. Gloriam enim hic eum dicere opinor Spiritum sanctum, &c. Reconciliationis munus in his uerbis Nissenus tribuit Christo non tantum quoad humanam naturam, sed quatenus cum Patre unum, hoc est, illi consubstantialis est. Athanasius uerò Verbo, hoc est diuinæ naturæ tribuit munus sacrificãdi, haud dubiè quia Verbum sacrificium humanæ naturæ efficax et Deo gratum facit: uerba illius si forte requiras, hæc sunt.

In oratione de uer bis, Tunc ipse Filius subij cietur ei.

Ad Maximũ philosophũ.

Quapropter ille in quo Pater ipse sibi complacuit, Deus uerus & ex natura Verbum & sapientia Patris, homo ob nostram salutem corporaliter est factus, ut haberet quod offerret pro nobis, seruaretq; nos omnes quotquot formidine mortis per omnem uitam obnoxij eramus seruituti. Non enim homo quispiam semetipsum pro nobis dedit, quandoquidem omnes homines rei erant mortis: iuxta illud uerbum, Terra es & in terram abibis: neq; id fieri potuit per ullam rem creatam, quia omnis creatura de mutabilitate suspecta est: Sed ipsum Verbum suum corpus pro nobis obtulit, ne in hominem spe aut fiducia moueremur, sed in ipso Deo Verbo fiduciam nostram constitutam haberemus. Idem alibi. Atque ita à nobis simili corpore mutuato (de Verbo hæc scribit) eò quòd omnes mortis [illegible] obnoxij essemus, pro omnibus idipsum in mortem [illegible] Patri suo sacrificauit. Quinetiam idem Pater eos qui dicunt Filium ministri ordinem habere, eò quòd obtulerit Patri humanam naturam, non ita refellit, ut dicat offerendi munus Filio tantum secundum humanam naturam conuenire, sed potius ostendit hoc munus Deo Verbo non esse indignum, quandoquidem scriptura Patrem quoq; docet alios adducere ad Filiũ, Nemo potest uenire ad me, nisi Pater meus cœlestis traxerit eum. Cyrillus cuius inter Patres in hac causa non parua est authoritas, cũ alibi, tũ in libro de recta fide ad Reginas, docet, Christũ esse Pontificẽ assumpta humana natura, ea autẽ quæ in hac fecit & passus est, ideò efficacia esse, quòd sint propter unionem

De humanitate Verbi, eiusq; corporali aduentu.

nem naturarum nõn hominis ſed Verbi opera: unde illum ut hominem infirmum, ut Deum fortem & peccato ſuperiorem eſſe inquit, qui ſeipſum Deo obtulerit, ac Patri ſuum corpus ſacrificarit. Atq; modum miniſterij quo Chriſtus fungitur, ait humanis quidem uerbis ſignificari, attamen diuinum eſſe, nempe homines Patri adducere. Quare ſi miniſterium Chriſti diuinum eſt, ſi firmitas & efficacia pontificatus in eo conſiſtit quod Deus eſt, certè non tantum ſecundum humanam naturam Pontifex noſter eſt. Quod ſi igitur hæc quæ humanæ naturæ opera ſunt efficaciam habent à diuina, & ideo officium Mediationis utriq; naturæ tribuitur, multo magis illud diuinæ quoq; naturæ eſt tribuendum, ſi eorum operum ratio habetur quæ humanam naturam ſuperant. Nam ut ſupra diximus ſunt quædam Mediationis opera præſtantia & diuina, propria diuinæ naturæ. Cyrillus Mediatoris ſeu Pontificis opus eſſe ait, nos ad Deum adducere, & ut ipſe interpretatur, ſanctificare ſuo ſpiritu credentes miſericordia & gratia uſtificatos. Et Auguſtinus. Quod per Mediatorem reconciliamur Deo & accipimus Spiritum ſanctum, ut ex inimicis efficiamur filij, quotquot enim ſpiritu Dei aguntur hi filij Dei ſunt: hæc eſt gratia Dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrũ. Quin etiam ipſa mediationis ratio, ſi rem exacte expendamus, requirit talem Mediatorem qui nobis dare poſſit Spiritum ſanctum. Nam ut Deo reconciliemur, aut in Deo aut in nobis mutationem aliquam fieri oportet: Deus autem mutari nõ poteſt, neceſſe ergo

Opera Mediatõris diuinæ naturæ propria.

Enchir. ad Laur. cap. 33.

est ut nos mutemur, & noui atq; spirituales ex carnalibus hominibus fiamus, hanc mutationem non efficit aliqua humana uis, sed Spiritus sanctus. Hunc in reconciliatione nostri cum Deo, dat nobis noster Mediator, & per illum in cordibus nostris operatur, idq; diuinæ eius naturæ opus esse, nemo ut arbitror negare poterit. Omitto nunc alia quæ ipse Mediator de se prædicat in Euangelio; unum tantum addam: Docere, Stacarus inter Mediatoris opera ponit quæ duntaxat humanæ naturæ conueniant, & tamen, ut nunc scripturarum testimonijs non utar, hoc Augustino adeò non indignum uidetur diuina natura, ut peculiari libro ostenderit magistrum non esse qui doceat hominem scientiam nisi Deum, secundum illud quod in euangelio scriptum est, Vnus est magister uester Christus, his enim uerbis ipse utitur. Quare cùm in mediatione seruilia opera formæ serui, præstantia & diuina formæ Dei, uim præterea & efficaciam, quoniam ea creatam naturam superat, itidem diuinæ naturæ tribuamus, & hoc exemplo Patrum, falso accusamur quod diuinam naturam è throno maiestatis suæ in seruilem conditionem conijciamus.

Non statui personalem operationem in Trinitate.

Sed instat nobis aduersarius ac quærit, an opus hoc quod diuinæ naturæ Christi tribuimus illi commune sit cum Patre & Spiritu sancto, an tantum personæ Filij proprium. Si dicamus commune esse Patri & Spiritui sancto, infert Patrem igitur et Spiritum sanctum esse quoque Mediatores nostros, quærit apud quem hoc munere fungamur, & nos Valentini Proclatora

patora introducere clamat. Si uerò dicamus hoc esse proprium personæ Filij, uociferatur nos impugnare Sextam synodum quam tamen nostro testimonio approbauerimus, statuere nos contra omnium orthodoxorũ sententiam personalia opera in Trinitate, et ita diuinam lacerare naturam: fieri enim non posse quin diuersæ eorum naturæ sint, quorum diuersa sunt opera: quare si Filius secundum naturam diuinam Mediator sit, Pater autem & Spiritus sanctus non sint mediatores, sequi aliam esse deitatem Filij, aliam deitatem Patris & Spiritus sancti. Dico nos Mediationis uim & efficaciam proprie huic personæ tribuere quæ cum carne in unam personam est coniuncta, neq; propterea uel Sextæ synodo uel patrum doctrinæ de communi operatione deitatis aduersari. Nam primum ita statuitur communis operatio, ut tamen proprietates personarum & quicquid has consequitur, non tollatur. Neq; enim Patri commune est cum Filio nasci, neq; Filio cum Patre commune est generare, neq; cum Spiritu sancto Patri & Filio commune est procedere. Hoc cũ omnes Scholastici fateantur, cur non licet nobis idẽ statuere de alijs personarum proprietatibus quas nobis sacræ literæ tradunt? Cum igitur supra ostenderimus incarnationẽ solius Filij propriã esse, huius uim & efficaciam proprie quoq; Filio adscribimus. Deinde etsi cõmunis est operatio triũ personarum, tamẽ opus triũ cõmune, cũ singulæ personæ operantur, scripturæ aliquãdo nõ simul tribus sed uni alicui personæ tribuũt, idq; proprie ut manẽte eadẽ essentia appareat uera

Cõmunis operatio deitatis non tollit proprietates personarum.

Ea quæ cooperatione aliarum personarum fiunt proprie uni tantũ aliquãdo tribuuntur.

distinctio: sicuti Patrum et scripturarum testimonijs comprobabo. Nam in illa celeberrima patefactione sanctæ Trinitatis, quando Christus baptizatus est in Iordane, audita est uox Patris, Hic est Filius meus dilectus in quo acquiesco: uidit deinde Ioannes Spiritum sanctum descendentem super Christum specie columbæ. Quomodo autem & communis in hac reuelatione operatio fuerit totius Trinitatis, & tamen nihilominus Vox de cœlo audita solius Patris fuerit, & solus Spiritus sanctus columbæ specie apparuerit, malo Patrum quàm meis uerbis explicare: è quorum numero Augustinus primum in medium prodeat, qui ita scribit: Nec tamen inaniter sed rationabiliter & ueraciter dicitur Patrem dixisse, non Filium & Spiritum sanctum, Tu es Filius meus dilectus in quo mihi complacui. Sed hoc miraculum de cœlo sonabilis uerbi, quamuis ad personam Patris tantummodo noscamus pertimere, cooperatores esse tamen Filium & Spiritum sanctum non negamus: neque enim quia tunc Filius carnem portans cum hominibus conuersabatur in terra, ideo non erat etiam in sinu Patris tanquam unigenitum Verbum, quando illa de nube uox facta est: aut sapienter aut spiritaliter credi potest, Deum Patrem operationem uerborum suorum sonantium atq; transeuntiũ, à suæ sapientiæ suiq; spiritus cooperatione separasse. Et paulò post. Item dicimus, nec Patrem nec Filium, sed solum Spiritum sanctum & in columbæ specie, & in linguis uelut igneis apparuisse, & dedisse pronunciare illis in quos uenerat multis & uariis linguis magnalia Dei: à quo tamen miraculo, ad solum Spiritum

De uerbis domini in Euang. Matth. sermone 11.

ritum ſanctum pertinente, cooperationem Patris & Verbi unigeniti ſeparare non poſſumus. Et Vigilius Martyr, Illa inquit quæ ſæpe audita eſt uox, Hic eſt Filius meus dilectus, nec ad Filium, nec ad Spiritum ſanctum, ſed ad Patrem pertinet ſolum. Item columbæ ſpecies quæ in Iordane apparuit, & ignearum linguarum multipertita diſtributio, proprie ad Spiritus ſancti perſonam pertinere monſtratur. Et Leo unus ex probatis Romanis pontificibus, de transfiguratione Domini ſic ſcribit. Præſens quidem erat in Filio Pater, & in illa Domini claritate quam ad diſcipulorum temperarat aſpectum, non ſeparabatur ab unigenito genitoris eſſentia, ſed ad commendandam proprietatem utriuſq; perſonæ, ſicut uiſui ſignificauit Filium ſplendor ex corpore, ſic auditui Patrem uox nunciauit è nube. Et alibi, Huius beatæ Trinitatis et incõmutabilis deitatis, una eſt ſubſtantia, indiuiſa in opere, & concors in uoluntate, par in omnipotentia, æqualis in gloria. De qua cum ſancta ſcriptura ſic loquitur, ut aut in factis aut in uerbis aliquid adſignet quod ſingulis uideatur conueniſſe perſonis, non perturbatur fides catholica, ſed docetur, ut per proprietatem aut uoris aut operis, inſinuetur nobis ueritas Trinitatis, & non diuidat intellectus quos diſtinguit auditus. Ob hoc enim quædam ſiue ſub Patris, ſiue ſub Filij, ſiue ſub Spiritus ſancti appellatione promuntur, ut confeßio credentium in Trinitate non erret. Quæ cum ſit inſeparabilis, nunquam intelligeretur eſſe Trinitas, ſi ſemper inſeparabiliter diceretur. Idem author alibi etiam

Lib. 1. cõtra Eutychen.

Hom. de tranſfig. domini.

Serm. 2. de Pente coſte.

Hom. 3. de Pentecoste.

sic scribit. Quod ergo salua cooperatione inseparabilis deitatis quædam Pater, quædam Filius, quædam Spiritus sanctus proprie exequitur, nostræ redemptionis dispositio, nostræ salutis est ratio, Hos Patres quorum fidem nemo bonus unquam damnauit, nos sequimur, & reconciliationem humani generis cum Deo (huc enim tendit mediatio) dicimus proprie tribuendam esse personæ Filij non Patris aut Spiritus sancti, & ideo Filium tantum non Patrem aut Spiritum sanctum Mediatorem nostrum nominamus, interea tamen cooperationem Patris aut Spiritus sancti non excludimus. Nam primum quod fons est mediationis, Filius non Pater & Spiritus sanctus humanam naturam assumpsit: equidem non negabo carnem quam assumpsit Filius opus esse totius Trinitatis, quandoquidem hoc quoq; sacræ literæ innuere uidentur, in quibus Angelus uirgini inquit, Spiritus sanctus superueniet in te & uirtus Altissimi obumbrabit te, propterea id etiam quod nascetur ex te sanctum uocabitur Filius Dei, & rursus alibi dicitur, Altissimum sanctificasse tabernaculum suum, uerumtamẽ etsi caro hæc opus fuit totius Trinitatis, huic tamen solus Filius, non Pater & Spiritus sanctus, sic unitus est ut duarum naturarum una sit hypostasis. Huius autem hypostaseos in qua diuina & humana natura iuncta est, diuina & excellentia opera duntaxat Filij personæ proprie tribuimus, interim cooperationem Patris & Spiritus sancti non negantes. Nam si nihil proprie hic personæ Filij tribuendum est, cur dicimus Filium solum incarnatum esse,

esse, & non etiam Patrem ac Spiritum sanctum? Num dicemus sanctam Trinitatem in persona Christi sic operatam esse miracula & alia diuina opera, sic ut in Prophetis & in Apostolis, an potius alia ratione præstantiori, quam non aliam esse aut aliunde ortum habere uideo, quàm ex hac arctißima coniunctione qua Verbum carni unitum est in unam personam. Reconciliatio nostra cum Deo, de hac enim quæritur cum de mediatione agitur, pendet à gratuita Dei electione, qua etsi communiter à Patre Filio & Spiritu sancto electi sumus, tamen scripturæ testantur nos in Filio electos esse ante iacta fundamenta mundi, quod scilicet uisum sit deitati in Filij persona hoc consilium ad finem perducere, non tantum ut caro assumpta pateretur, sed ut ipsum Verbum in carne nobis cœlestia dona communicaret: & quia hoc ipsum commode explicatur à D. Athanasio, quem aduersarius noster in delitijs habere uidetur, & quidem rectius quàm Lombardum, adscribam hac ipsa de re eius authoris locum aliquanto prolixiorem, attamen illustrem admodum.

In oratione in hoc dictum, BxDe Deus est Verbum:

Aduersus autem infirmam humanamq; opinionẽ Arrianorum, qua suspicantur Dominum indigũ fuisse cũ ait, Datum est mihi: & Accepi, & cum Paulus loquitur, Superexaltauit eum Deus, & Sedit ad dexteram, aliaq; similia, dicendum est Christum nostrum, Verbum Filiumq; Dei corpus gestasse, Filiumq; hominis factum esse, ut Mediator sequesterq; Dei & hominum factus, ea quæ Dei sunt nobis, & quæ nostra sunt Deo subministraret. Cum igitur re-

fertur esurire, lachrymari, fatigari, uociferari Heloi Heloi: quæ humanæ sunt & nostræ passiones, ea ipse à nobis accipit, & Patri refert intercedens pro nobis, ut in sese deleantur. Cum autem loquitur, Data est mihi potestas, & Accepi, & Ideo superexaltauit eũ Deus, ea sunt munera Dei, in nos, quæ per ipsum Filium nobis elargiuntur. Non enim aut indigum erat Verbum, aut alicuius rei egenum. Neq; è diuerso homines ad id sufficiebant, ut sibi ista suppeditarent: uerum quia id per Verbum nobis elargitum est, ideo tanquam quæ sibi data essent, nobis impartit. Idcirco enim homo factus est, ut quæ illi data essent in nos transirent. Homo enim merus non dignus fuisset istiusmodi muneribus: Verbum è diuerso solum & merum istis non indiguisset. Coaptatum igitur nobis est Verbum, potestatemq; suam nobis impartijt, & superexaltauit. In homine enim existente Verbo, accepit homo. Quoniam igitur Verbo existente in carne, exaltatus est homo & accepit potestatem, ideo ista ad Verbum referuntur, quia propter Verbum data sunt: ideo enim quia Verbum in homine erat, istæ gratiæ donatæ sunt. Et ut Verbum caro factum est, ita quoq; homo per Verbum ea accepit. Quæcunq; enim homo accepit omnia dicitur Verbum accepisse, ut ostenderetur non fuisse hominem dignum ut acciperet, quæcunq; in illius naturam delata peruenirent: uerumtamen per Verbum carnem factum istiusmodi accepit: quapropter si audias certum aliquid donatum esse Domino, aut aliud quod est istiusmodi, intelligere debemus datum illi

non

non ueluti indigo, ſed homini per eum datum eſſe. Nimirum omnis qui pro alio intercedit, gratiam quo que & ipſe accipit, at non quaſi indigus, ſed illius nomine pro quo intercedit. Sicuti enim infirmitates noſtras recepit ipſe non infirmus, eſurijt ipſe non e- ſuriens, ſed noſtra iſta alio transfert ut deleantur, ita quoq; imbecillium nomine Dei munera uicißim acci pit, ut coaptatus homo particeps eſſe queat. Ideoq; locutus eſt Dominus, Omnia quæ dediſti mihi dedi eis: & rurſum, Pro eis rogo. Rogabat enim pro no- bis quæ noſtra ſunt ſuſcipiens, & donabat quæ per- ceperat. Quoniam igitur coaptato Verbo homini, ad Verbum reſpiciens Pater, largitiones has in ho- minem contulit, ut exaltaretur, ut haberet omnem poteſtatem, & quæcunq; ſunt iſtius generis. Ideo om nia iſta Verbo imputantur et perinde ſunt quaſi ipſi ſint data, quæ nos per illum acquiſiuimus. Nam quē- admodum propter nos homo factus eſt, ita nos per eum exaltamur. Nihil igitur abſurdi eſt, ſi quemad- modum ſemetipſum propter nos humiliauit, ita pro- pter nos quoq; dicatur exaltari. Dedit igitur illi pro eo quod eſt dedit nobis per eum, & ſuperexaltauit eum, pro eo quod eſt exaltauit nos in ipſo. Siquidem ipſum Verbum nobis ſublimatis accipientibusq; & adiutis, quaſi ipſum ſublimaretur, acciperet, iuua- retur, Patri gratias agens ea quæ noſtra ſunt ſibi im- putat ac dicit, Omnia quæ dedit mihi Pater dedi eis. Et hæc quidem Athanaſij ſunt. Obijciebant Arriani Filium Patre minorem eſſe, quandoquidē ſibi datum & ſe accepiſſe dicat, & apoſtolus eum dicat ſuper-

exaltatum à Deo, respondet Athanasius hæc dici de Filio postquã humanam naturam assumpsit, in qua Mediator sequestrq; factus est Dei & hominum, humana Deo subministrans, hominibus diuina. Humana quidem, hoc est humanas infirmitates assumpta nostra natura in se recepit, non mutata Verbi natura, sed quod ea illius sunt ratione unionis cum assumpta natura, has infirmitates deleuit morte quam in carne pertulit, ui Verbi superata morte: nam ut alibi Athanasius inquit, Ob coniunctum immortale Verbum, mors in Christo mirabili ratione, sicuti stipula ab igne consumebatur: Verbumq; cum incorruptibile esset, id quod corruptibile erat sua præsentia adiuuabat. Sicut autem humanas nostras infirmitates in se recepit & deleuit, ita uicißim cœlestia & diuina munera nobis contulit, nã quia Verbum caro factum & nobis coaptatum est, propter Verbum istæ gratiæ homini datæ sunt, et ea per Verbum homo accepit. Hæc autem dicũtur Verbo data, nõ quod indiguerit, sed quod Mediatoris munere fungebatur, & quæ nobis data sunt per Verbum et propter Verbũ, ea Verbo imputantur. Mediatorẽ itaq; nostrum statuit Athanasius Verbum incarnatum, per quem quatenus scilicet Deus est unius eiusdemq; naturæ cum Patre & Spiritu sancto, & propter quem, quatenus scilicet in una hypostasi respicitur deitas humanitati coniuncta, munera diuina hominibus dantur. Non autem tollitur hac sententia cooperatio Patris & Spiritus sancti, sed quia Verbum homini unione hypostatica unitum est, Verbo hæc tribuuntur,

In Euãg. de passione & cruce domini.

buuntur, & dicitur Pater dare propter Verbum, nõ quod Verbum non etiam det, sed Patri tribuitur origo operum à quo etiam est existentia cooperantium personarum, ut D. Augustinus docet.

An Christus sit Mediator suijpsius.

Ex his uerò quæ iam proposuimus apparet illud quoq; quid responderi debeat ad hanc aduersariorũ interrogationem, Quomodo Christus secundum Deitatem posit Mediator esse qui nos Deo reconciliet, & Deus apud quem fiat hæc reconciliatio. Deum inquit Apostolus mundum sibi reconciliare per Christum Iesum & in Christo: si enim spectamus Christum quatenus carni coniunctum est Verbum aut cõiungendum erat, Mediatoris munere fungitur & in ipso Deus erat mundum sibi reconcilians: sed si spectamus in Christo nudam deitatem absq; ullo respectu ad carnem, illi reconciliamur. Neq; tamen hac ratione duos Christos aut duos Filios facimus uti Stancarus fingit, sed uni & eidem Filio diuerso respectu diuersa officia adscribimus. An nõ etiam unus idemq; Filius idem est cum Patre identitate naturæ essentiæ seu deitatis, & alius rursus à Patre uera & reali personarum distinctione. Nonne unus idemq; Filius nobis proponitur misericors liberator, & seuerus iudex damnans impios? Si cauillari libeat, potius dicendum esset, eos facere duos Filios qui naturam diuinam prorsus à Mediatione remouent, ut sit secundum illos unus Filius homo Mediator, & alius Filius Deus, apud quem fiat mediatio: sed nos cum hæc aliter mitigari posint, nolumus aduersarios imitari & omnia detorquere calumniosè. Quod autem aduer-

ſurijs abſurdum uidetur, aliquem Mediatorem eſſe ſuijpſius, non adeò ut ipſi uolunt ratione caret, ſi in mediatione, quod caput eſt reconciliationem ſpectamus. Inter homines fateor magis hoc abſurdum uideri, propterea quòd in offenſo qui mitigandus eſt, mutationem fieri & affectum alterius opera tolli et mitigari oportet. ſed ut nos Deo reconciliemur nulla ſit in Deo mutatio, quoniam nulla perturbatio in illum cadit, nos mutari oportet, hoc Deum efficere et nos ſibijpſi reconciliare, ut ſacræ literæ docent, & ita Chriſtum ſuijpſius Mediatorem eſſe, nihil abſurdi continet. Qua in re Græca ſcholia in Paulum nobis ſubſcribunt, quæ hæc uerba, Præſtantioris teſtamenti eſt interceſſor, ſic interpretantur, Nouum teſtamentum appellat fidem in Chriſtum, in qua & ſibijpſi & Patri extitit interceſſor.

Naturas in Chriſto a nobis non confundi.

Veniamus iam ad poſtremum accuſationis caput, quod eſt de duabus in Chriſto naturis & uoluntatibus atq; operationibus, quæ omnia tolli & confundi ab illis inquit, qui mediationem utrique naturæ adſcribunt, illos enim quicquid dicant unam tantum naturam & uoluntatẽ & operationem in Chriſto ſtatuere. Non opponam hoc loco Stancaro noſtram confeßionem, quandoquidem ipſe, magnus uidelicet uates qui cordium arcana nouit, aliter nos ſentire ait quàm uerbis profiteamur, non dicam etiam quod ipſe quoq; fatetur, opus attribuendum eſſe perſonæ operanti, in qua duas eſſe naturas non negamus: hoc tantum dico, recte & abſq; ulla confuſione naturarũ, uoluntatum atq; operationum quædã opera

utriq;

utriq; naturæ attribui, sic tamen ut distincta sit in eo dē opere utriusq; naturæ operatio. Ambulatio Christi super mare (libenter enim utor hoc exemplo quo sexta quoq; synodus usa est) cui naturæ attribuetur? humanæ? at eius non est ambulare super aquas & non mergi. Diuinæ? at ea non ambulat pedibus, neq; de loco in locum progreditur. Est igitur hoc opus personæ in qua sunt duæ naturæ, & utriusq; in hoc uno opere proprietas & peculiaris operatio appareret. Sic cum mediationē utriq; naturæ attribuimus, seu opus dicimus ad personam operantem referri debere, nihilominus operationes ipsas secundum naturarum proprietates distinguimus. Nam quæ humana & seruilia sunt, ut preces supplices, effusio sanguinis, passio, mors, ea formæ serui attribuimus: sed uim & efficaciam horum operum ad satisfaciēdum pro genere humano, ad reconciliandum nos Deo, ad nos uiuificandos, donum item Spiritus sancti aliaq; præstantia opera tribuimus formæ Dei. Cum autem mediationem nominamus, quia ipso nomine diuersas has actiones duarum naturarum complectimur, ideo hoc nomen uel personæ uel utrique naturæ attribuimus, atq; ut naturas non separamus, ita eadem non confundimus aut permiscemus. Quamobrem cum aperte distinctas in Christo naturas, uoluntates & operationes confiteamur, & huic confessioni non repugnet quod dicimus, Christum Mediatorem nostrum esse secundum utramq; naturam, manifestum est Stēcarum atrocem iniuriam nobis facere quando Eutychianæ hæreseos nos damnat, & unam in Christo

naturam & uolũtatem & operationem ſtatuere. Et certè dolendum eſt hominem eum qui ſe religionis ueræ doctorem profitetur, & multarum eccleſiarũ reformatorem, ita apertè calumniari bene dicta ab alijs, quaſi cauſam ſuam non niſi maledictis & calumnijs innocentum tueri poßit. Olim melioribus ecclesiæ temporibus, ſi quid à pio aliquo doctore durius dictum ſcriptumúe fuiſſet, cæteri id ex alijs eiuſdem dictis commodè interpretabantur. Sic Athanaſius multa Dionyſij Alexandrini dicta contra Sabellium, quæ uidebantur Arrianis fauere, ex alijs eiuſdem ſcriptis commodè interpretatur. Sic nos multas Tertulliani, Hilarij & aliorum duriores ſententias commoda interpretatione mitigamus. At Stancarus ab hac modeſtia alienißimus, tantum quia dicimus Chriſtum Mediatorem noſtrum eſſe quoad utramq; naturam, omnium pene hæreſeon nos reos facit: non quærit neq; expendit quomodo hoc à nobis dicatur, non cum hac ſententia alia noſtrorum ſcripta confert, ſed quia quidam Arriani, longè tamen alia ratione quàm nos Chriſtum Mediatorem faciunt, quoad diuinam naturam, nos quoq; cum illis Arrianos eſſe pronuntiat: quod cum iam euidenter oſtenderim falſum eſſe, nolo hic ulterius de hac iniuria conqueri, ſed me ad alteram partem inſtituti mei conuertam: & ordine reſpondebo ad ſingula capita quæ ille ſeparatim in duabus epiſtolis reprehendit.

RESPON-

RESPONSIONIS AD LIBRVM FRANCISCI STANCARI Pars secunda, in qua prior Tigurinorum ad Polonos epistola ab eius calumnijs defenditur.

POsteaquam generatim sua dogmata confirmauit Stancarus, & ostendit quæ nã absurda, imò quæ hereses ipsius iudicio oriantur ex eorum doctrina, qui Christũ docent esse Mediatorem nostrum quo ad utramq; naturam, speciatim deinde reprehendit complures locos in duabus nostræ ecclesiæ epistolis ad Polonos scriptis. Nam cum superioribus annis ecclesiæ Polonicæ per Stancarum turbatæ et distractæ fuissent, postulantibus ita primum ecclesiarum ministris, deinde etiam uiris aliquot nobilibus Polonis, nostræ ecclesiæ ministri duas epistolas in publicum ediderunt, in quibus suam sententiam de Mediatore domino nõstro Iesu Christo, exponunt, & uiam inundæ concordiæ in hac cõtrouersia ostendunt. Has Stancarus non tantum generatim sibi impugnandas proposuit, uerumetiam in easdem Castigationes (ita enim maledicta & atrocissimas calumnias nominat) quasdam conscripsit. Verumtamen, homo uidelicet

Quare epistolæ ad Polonos scriptæ sint.

modestus & à conuitiandi studio alienus, præcipua tantùm capita se castigaturum promittit, reliquasue rò rationes ut aniles se præteriturum ait: non enim poterat commodius omittere præcipuas & firmissimas rationes, quas confutare nequibat, quàm si contemptu quodã se illas negligere simularet. Sed quod nobis dat aduersarius, ut non omnes rationes impugnet, ab ipso accipimus, interea tamen rogamus æquum lectorem, ut nihilominus diligenter legat & expendat omnes rationes quæ in duabus epistolis nostrorum continentur, ita enim melius iudicare poterit de Stancari reprehensionibus & mea responsione. Nam id ego studiosè curaui ut rationes antè à nostris allatas, aut omnino non aut paucis tantùm repeterem si id necesse foret, & ut hoc tantum agerem quo Sancari calumnias perspicuè & solide refutarem. Itaq; totius causæ firmamenta ex epistolis repetenda erunt. Quæ uerò in his aduersarius reprehendit deinceps ordine confutabo.

Reprehẽsio 1.

Primum itaq; hoc reprehẽdit quod à nostris scribitur naturas non agere separatim, quasi hæc dicatur aliquod certum opus efficere, altera uerò aliud: hoc enim Macarianum Eutychianum & Arianum esse inquit. Deinde huic sententiæ cõtradicere quod alibi à nostris quædã opera humanæ naturæ in Christo, quædam uerò diuinæ attribuuntur. Dico nos opera Christi tribuere personæ operanti, quod & sexta synodus docet: & Stancarus ipse approbat. In hac persona naturas duas distinguimus, & easdem distinctas uoluntates & operationes habere fatemur,

Opera Christi tribuuntur personæ.

idcoq;

ideoq; quædam opera diuinæ, quædam humanæ naturæ attribuimus. Illud autem damnamus si naturæ & operationes non tantum distinguantur sed separentur, itaq; dicimus non esse separatim, separatim inquam non distinctim, opus hoc uni & alterum alteri naturæ attribuendum. Nam duæ naturæ uti inconfuse ita etiam inseparabiliter operantur, uti docet Sexta synodus Actione 10. Quod si Stancarus operationes non tantum distinguendas, uerumetiam separandas esse arbitratur, aperte Nestorianus est: si uerò tantum distinguendas dicit, cur nos damnat qui idem docemus? Si opera separatim tribuenda sunt huic uel illi naturæ, quomodo defendemus uerba D. Leonis toties repetita in Sexta synodo. Agit enim utraq; forma cum alterius communione quod proprium est. Item, Licet ergo in uno Domino Iesu Christo uero Dei atq; hominis Filio, Verbi & carnis una persona sit quæ inseparabiliter atq; indiuisè communes habebat actiones, intelligēdæ tamen sunt ipsorum operum qualitates, & syncerè fidei contemplatione cernendum est, ad quæ prouehatur humilitas carnis, & ad quæ inclinetur altitudo deitatis: quid sit quod caro sine Verbo non agit, & quid sit quod Verbum sine carne non efficit.

An opera separatim tribuenda sint naturis.

2.

Secundo accusat nostros quod duos Deos constituant, quando Christum dicunt Mediatorem esse secundum utramque naturam, & rationem allatam, personam Mediatoris oportere utriusq; naturæ participem esse, tantum de persona ualere ait, non autem de officio. Huic autem reprehensioni quoad pri-

mam partem superius satis respondimus. Quando enim dicimus Christum mediatorem nostrum esse quoad utrãq; naturam, non statuimus deitatem Christi nudam, quæ apud aliam superiorem deitatem pro nobis intercedat: sed hoc dicimus, Deitatem quatenus in persona Filij carni unita est, tribuere operibus humanis Mediatoris excellentiam & uim tantam, ut sufficiant ad nos reconciliandos Deo: & Verbum incarnatum nos uiuificare, immutare & renouare suo spiritu testamur. Si igitur spectatur nuda Deitas, Filio reconciliamur non minus quã Patri & Spiritu sancto, si spectamus Deitatem cõiunctam carni, huic personæ tribuimus officium Mediatoris quæ carni unita est. Quoad alteram reprehensionis partem, quoniam hoc cauillo pleraq; Patrum testimonia eludit, tum respondebo cum ad explicanda loca è Patribus citata peruenero.

Non statui à nobis duos Deos.

Pronuntiat deinde hanc conclusionem, In opere sequestris una natura ab altera non est diuellenda, plane hæreticam esse. Ego uerò apertè dico hanc eius reprehensionem hæreticam & Nestorianam esse, & quæ statim eodem loco ab ipso authore damnatur, inquit enim naturas non esse diuellendas ut Nestorius faciebat, sed distinguendas. Nos uerò in opere Mediationis ut naturas non diuellimus, ita etiã eàsdem non miscemus aut confundimus, uti falso nos Stancarus accusat, sed ita utriq; naturæ opera Mediatoris tribuimus, ut singularum naturarum operationes iuxta earum proprietates distinguamus.

3. Naturas Christi non esse diuellendas.

4. Negat postea opera Mediatoris esse illustrare animos

animos hominum, immittere ſanctum ſpiritum, immutare corda, uiuificare, beatos nos facere, eccleſiam regere, adunare, liberare, tueriq; : hæc enim enim omnia communia eſſe Patri & Spiritui ſancto, ideoq; non eſſe opera Mediatoris. Dico ſicut ſupra multis Patrum teſtimonijs probaui, in communi operatione Trinitatis proprie tamen opera aliquando uni perſonæ attribui, in qua ſcilicet ea peculiariter nobis patefiunt, ut appareat hac ratione uera perſonarum diſtinctio, ſalua eſſentiæ unitate: itaque opera hæc ut ſcholaſticorum more loquar, quoad terminum à quo, ſeu quoad actionis originem, ſunt communia Patri Filio & Spiritu ſancto: uerum quo ad nos ſunt propria Mediatoris, quoniam Verbum incarnatum nobis hæc dona confert. Chriſtus enim & carnem ſuam panem uiuificum nominat, & ſe quoq; ſicut Patrem uiuificare ait: & idem ut Mediator promittit alium Paracletum Spiritum ſanctum, poſtquam in cœlos aſcenderit: Verbum incarnatum nominatur Emanuel atq; ſeruator: & caput eccleſiæ eſt non abſq; humanæ naturæ reſpectu, ſecundum quam nobis eſt ὁμοούσιος. Quare cum hæc opera tribuantur non tantum nudæ deitati, quæ alioqui abſq; carne hæc efficere poteſt, ſed Verbo incarnato, iure dicimus opera Mediatoris eſſe, & propria Filij qui carnem aſſumpſit: non quidem excludentes cooperationem Patris & Spiritus ſancti, ſed quatenus Filio incarnatio propria eſt, hactenus etiam propria illi eſſe dicimus quæ diuinitus in carne operatur.

Opera diuinæ naturæ quo modo perſonæ uni ſint propria.

Opera diuina Mediatoris.

5. Eadem responsione confutatur sequens eius reprehensio de dignitate precum Christi, negat enim eam fluere à Verbo Deo, sed à tota Trinitate ita ordinante & acceptante, quoniam una eademq; sit deitas Patris Filij & Spiritus sancti. Rursus enim ut ante respondemus, si originem spectemus, hæc esse communia Patri Filio & Spiritui sancto, sed si spectemus quod in una eademq; deitate non Patris aut Spiritus sancti, sed solum Filij persona carni in unam hypostasim unita est, ea quæ à Deitate opera excellentia fiunt in carne proprie Filij personæ tribui posse: & quàmuis tota Trinitas preces Mediatoris acceptet: tamen hæ ideò gratæ sunt, quod in persona orante Deitas humanitati coniuncta est.

Vnde dignitas sit precum Christi.

6. Sexto loco grauissima criminatione in nos utitur, quod uerbum παρακαλεῖν apud Paulum 2. Cor. 5. per obsecrandi uerbum explicemus, inquit nos scripturas corrumpere ut seruiant impietati et blasphemiæ nostræ, peccare in Spiritum sanctum, & ueritatem iam agnitam impugnare. Huic acerbissimæ criminationi antequam respondeamus prius indicãdum qua ratione hoc apostoli testimonio nostri usi sint. Qui Christum Patre minorem esse contendunt hoc argumento utuntur quod apud Patrem intercedat: huic errori quo occurrerent nostri, in explicandis operibus Mediatoris primum inquiunt, Christum intercedere pro nobis quatenus homo est, sic tamen ut dignitas precum fluat ex natura diuina quæ humanæ est coniuncta: addunt deinde uerbum ἐντυγχάνειν non esse tantum precari, sed etiam patrocinari cuipiam, illum

Quomodo dicatur Christus pro nobis intercedere.

illum tueri & defendere, atq; hoc si Christo tribuatur, eum ideò non esse minorem Patre: Tertiò quo plenius Arrianorum sententiam confutarent, ex Patrum sententia tradiderunt, non semper eum qui rogat minorem esse illo qui rogatur, precandi enim uerbum non semper proprie accipitur: & hanc sententiam probant uerbis Pauli, qui dicat Deum & Christum nos orare & rogare ut reconciliemur, qui tamen ideo nequaquam dicetur nobis minor. Quod autem negamus eum qui rogat minorem esse illo qui rogatur, & ita Arianos refutamus, facimus exemplo Athanasij, qui eosdem his uerbis refellit. Affirmat hæreticus & dicit, minorem esse petentem datore: si igitur Patrem petentem inuenias in ueteri testamento, quid mihi hic quæso respondebis? Et nūc Israel quid dominus tuus à te petit, nisi ut ipsum ames? Quod uerò Pauli locum adducimus & παρακαλεῖν obsecrare interpretamur, Chrysostomum huius interpretationis authorem habemus, qui in expositione huius loci, Apostolum inquit commendare Dei erga nos charitatem, qui innumera beneficia contulit hominibus, & contumelijs affectus non exegit pœnas, sed dedit Filium, & eo occiso iterum misit alios legatos παρακαλοῦντας, hortantes aut potius obsecrantes, καὶ τούτων πεμφθέντων αὐτὸς ἔστιν ὁ ἀξιῶν. Τί δὲ ἀξιοῖ? καταλλάγητε τῷ θεῷ, &c. Mißis legatis, inquit, ipse est qui obsecrat. Quid autem obsecrat? Conciliemini Deo. Quinetiam in expositione octaui capitis epistolæ ad Romanos, idem Pater Arianos confutans, intercessionem inquit non imminutionis, sed chari-

Qui rogat non semper minor est eo qui rogatur.

Lib. de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti.

παρακαλεῖν quid significet.

tatis solius esse, ideoq; Christum, etsi intercedat, Patre non minorem esse, & æqualitatem prius declarat esse ab apostolo, cùm dicit, Christum ad dexteram sedere. Ad hanc autem interpretationē confirmandam, adducit præsentem locum ex epistola ad Corinthios. Quamobrem ignoscat nobis Stancarus, quod in uoce Græca explicanda Chrysostomum quā ipsum sequi malumus: & si nostrā interpretationem omninodamnare uoluerit, cogitet sibi primū Chrysostomum damnandum esse. Verum inquit Martyrem hanc interpretationem ut Arrianā damnasse in Commentarijs epistolæ ad Romanos. Quid Martyr hac de re scripserit ex ipsius uerbis manifestum est, liber enim in manibus hominum uersatur. Damnat primum Arrianorum interpretationem, quod & nos facimus, qui Filium minorem Patre dicebant, quod apud eum intercederet. Adducit deinde Ambrosij, & post Chrysostomi interpretationem, qui docet orandi uerbum aliquando improprie usurpari, & non semper inferiorem esse qui orat, idq; probat uerbis Pauli 2. ad Corinthios 5. capite. Hanc sententiam Chrysostomi Martyr non damnat ut impiam aut Arrianam, sed salua authoritate Chrysostomi iudicat alia ratione Arrianis occurrendum esse, si dicamus Filium orare non qua Deus est, sed qua homo. Hanc autem interpretationem non recantauit, imò cum de precibus Mediatoris agitur, hæc sententia primo loco ponitur: additur tamen alia: ut si cui placeat, alio modo quo Patres usi sunt, Arrianos refutare posit. Vbi igitur est tanta impietas, blasphemia, peccatum in spi-

in ſpiritum ſanctum, impugnatio agnitæ ueritatis: docemus quomodo intelligenda ſint loca ſcripturarum quibus utuntur Arriani, afferimus uarias interpretationes, quæ omnes huc ſpectant, ut aſſeratur gloria Chriſti, contra eos qui ipſum Patrem minorem faciunt quoad deitatem, utimur uerbis & ſententijs Patrum, & nihilominus tam atrocibus conuicijs & calumnijs à Stancaro oppugnamur. Iudicet dominus inter nos & illum.

Septima reprehẽſione damnat quod cum ſcripturis dicimus Chriſtum apud Patrem intercedere: hoc enim plane Arrianũ eſſe inquit: quod ſcilicet hac ratione diuellatur & ſeparetur Filius à Patre. Dico neque Arrianos, neque alios hæreticos damnari quod uerbis ſcripturæ utantur, ſed quod his in alienum ſenſum abutantur: id autem à nobis fieri, Stancarus nunquam probabit. Apertè enim negamus, & omnibus machinis oppugnamus Arrianorum doctrinam, qui Filium Patre minorem faciunt, & eius naturam ſeu eſſentiam à Patris eſſentia ſeparant. Cum autem dicimus, quod forte etiam illorum aliqui dicunt, Chriſtum eſſe Mediatorem noſtrum apud Patrem, non excludimus Filium aut Spiritum ſanctum, ita ut illis tribuamus aliam à Patre deitatem, ſed ſequimur morem loquendi in ſcripturis uſitatum, quæ, ut Ambroſius docet, ſolent aliquando Patris ſolius meminiſſe, eò quòd ab ipſo ẽſt omnis æternitas. Reſpicimus deinde diuini conſilij diſpenſationem in reparatione humani generis, ubi ſcripturæ & Patres uno conſenſu Filio hanc reparationem tribuunt. Nam ut 7.

Apud quem Chriſtus intercedat.

innumera aliorum testimonia omittam, unius tantum Leonis Romani Pontificis duos locos adscribam. Primum, Sermone 12. de Passione domini. In hac autem ineffabili unitate Trinitatis, cuius in omnibus communia sunt opera atque iudicia, reparationem humani generis proprie Filij persona suscepit, &c. Alter habetur Sermone 3. de Pentecoste. Sed quia inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum, & aliter solui captiuitas humana non potuit, nisi causam nostram ipse susciperet, qui sine maiestatis suæ damno, & uerus homo fieret, & solus peccati contagium non haberet, diuisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis, ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus igniret.

8. Quoniam ecclesiarum Polonicarum ministri, fratres nostri honorandi, literis suis significarant, Stancarum abuti testimonijs nostrorum hominum ad suã doctrinam cõfirmandam, responsum illis fuit, debere ipsos indicare quæ nam loca ille arripiat, tum enim nos ea facilè explicaturos, ut ueritati non mendacijs aut perturbationibus ecclesiarum seruire intelligãt. Contra hanc testificationem Stancarus more suo plenis buccis, inuehitur, ait Tigurinos ministros palàm & manifestè retractare catholicam fidem: nominare authoritates illas mendacia et perturbationes eo sensu quo à Stancaro accipiuntur, & ad uerbũ se habent miro & ridiculo impioq; modo eas interpretari: sensum uocũ aliter interpretari, ac nouã theologiam in ecclesiã introducere, quod nihil aliud sit quàm colluuies & sentina hæresũ. Est ne quæso hæc castigatio digna

digna homine theologo, an potius hominis, ne quid grauius dicam furiosi mane conuicium? Testimonia è commentarijs nostrorum nulla fuerunt adhuc allata, nihil retractatum aut explicatum, tantum testati sumus, si qui sint qui nostrorum testimonijs abutantur, nos declaraturos uerum eorū sensum, quòd nullis mendacijs aut perturbationibus ecclesiarum inseruiant: quid quæso in hac re peccauimus? Abutuntur multi scripturarum testimonijs aut Patrum sententijs, & nemo non laudat eos qui uerum sensum asserunt: uerū per Stancarum nec sua ipsius uerba interpretari & à calumnij illius asserere cuiquā licebit? Sed quia ab ipso proferūtur authoritates aliquæ, quibus apertè ipsius doctrina, uti contendit, defendi tur, uideamus quænam illæ sint. Illa tamen quæ ex doctißimorum hominum, fidelißimorumq; eccleſiæ Dei ministrorum Ioannis Caluini & VVolfgangi Musculi commentarijs adducit, omittam: propterea quod mihi propositum sit ea tantum refellere quæ contra Tigurinæ eccleſiæ ministros scripta sunt: & quia spero ipsos, si forte ocium nacti fuerint, nugas Stancari & calumnias clare & euidenter confutaturos: quod si id facere non potuerint, tamen in ipsorum doctißimis lucubrationibus, ita hæc causa tractatur, ut peculiaris explicatio minus desideretur: quàmuis etiam quoad hanc partem Caluinus eccleſiæ Christi hoc officium præstiterit, peculiari libello de Mediatore ad Polonos fratres edito, breui quidem illo quoad uerba, sed referto argumentis & testimonijs scripturarum. Quare illa tantum testi-

monia commemorabo, quæ ex Bullingeri & Martyris commentarijs à Stancaro proferuntur.

Primum igitur profert è cõmentarijs Bullingeri in 16. cap. Iohannis, hæc quæ sequuntur Cyrilli uerba. Præcursor enim ille ascendit, ut Paulus dicit. Et sic in quantum homo Pontifex & intercedens pro nobis, & paracletus, & propitiatio pro peccatis nostris. In quantum uerò Deus & dominus natura cũ Patre simul sedet. Verba Cyrilli non hæc tantum, sed multa quæ hæc antecedunt & sequuntur à Bullingero citata fuerunt, quæ omnia de industria ne dicam malitiosè Stancarus omittit: scopus Bullingeri fuit, se non primum (eius uerbis utar) hæc domini uerba, Expedit uobis ut ego uadam, de corporali discessu & præsentia spiritus exponere: quod uidelicet corpus Christi abeat in cœlos, corporaliter amplius non sit præsens in ecclesia, spiritu autem & uirtute maneat in ecclesia: interpretatos esse ad eum modũ & alios interpretes & orthodoxos & ecclesiarum lumina. Si itaq; hæc sententia non confirmatur illo Cyrilli loco quem integrum Bullingerus adscripsit, certè reprehendendus est quod grauissimi theologi testimonio abusus fuerit, aut forte ipsius nomine fucum facere uoluerit. Sin hoc quod in quæstione erat à Cyrillo probatur, corpus scilicet Christi non amplius in ecclesia corporaliter adesse, in his autem uerbis alia præterea à Cyrillo traduntur, quæ Bullingeri doctrinæ de Mediatore aduersentur: horum uerborum sententiam præstare Bullingerus non debet: quando neq; hic de Mediatore agebatur,

Cyrillus in Ioann. lib. 10. cap. 39. In quem finem Cyrillum citarit Bul.

batur: neq; illi propositum fuit Cyrilli uerba interpretari, sed ea tantum adducere ad improbandam corporalem præsentiam Christi in ecclesia. Verumtamen hanc quoq; Cyrilli sententiam nobis non aduersari iam ostendam, ubi prius alia Cyrilli uerba adduxero, quæ itidem ex Bullingeri commentarijs ab ipso proferuntur.

Alia testimonia quæ ex Bulling. profert Stancarus.

Secundum igitur testimonium profert ex commentarijs in 17. cap. Ioannis, nempe hæc Bullingeri uerba. Rursus quid petat indicat. Volo, inquit, Pater, ut ubi sum ego, et illi, quos uidelicet dedisti mihi, sint mecum. Emphasim autem peculiarem habet, quod dicit, Volo, & non Peto uel Rogo. Tametsi enim ut homo, Pontifex, Mediator & intercessor oraret pro nobis, uoluit tamen inter orandum significare, quod iuxta diuinam substantiam simul cum Patre confert uitam & felicitatem æternam. Præterea ex eodem capite tertij testimonij loco, hæc quæ sequuntur Cyrilli uerba adducit. Non opus erat Patri cuncta scienti, petitionis hunc modum subaperire, sed quoniam Pontifex in quantum homo est, quàmuis Deus etiam natura sit, tamen ut Pontifex pro nobis Patrem alloquitur, ut credamus eum, & nunc Paracletum siue aduocatum & propitiationem esse pro peccatis nostris. Et mox. Quoniam ut sæpius dictum est, omnia ex Patre per Filium in Spiritu efficiuntur, quamuis cum Patre simul spiritualia dona largiatur (quibus enim uult summa cum potestate Spiritum distribuit) ut Mediator tamen & Pontifex bona pro nobis petit. In his uerbis omnibus & superioribus

Quomodo Mediatio aliquando tribuatur tantum humanæ naturæ.

etiam Cyrilli uidetur prima fronte Christo tribui Mediatio tantum quoad humanam naturam, uerum ad hæc loca explicanda considerandum est, primum naturam diuinam in Christo considerari aliquando simpliciter absq; ullo respectu ad carnem, & tum ut Cyrillus inquit, Christus ut dominus & Deus natura, simul cum Patre sedet: atque nos etiam idipsum docemus, & Christo tribuimus Mediatoris officium quatenus uel incarnandus olim erat, uel iam incarnatus est: Deinde opera mediationis seruilia quandoq; separatim considerantur, ut labores, tormenta, effusio sanguinis, preces cum gemitu, mors: hæc ne nos quidē negamus, si opera tantum spectentur, humanæ naturæ tribuenda esse. Sed in tota mediatione contendimus uim & efficaciam horū operum, & ipsam nostri reconciliationem cum Deo, profluere à diuina natura, quatenus ea carni in unam personam coniuncta est. Tribuit Deitati Stăcarus quod sit author mediationis, quatenus scilicet acceptat opera Mediatoris, & quatenus Deus Pater Filius & Spiritus sanctus author est operū præstantium & diuinorum in mediatione: nos uerò dicimus efficaciam talem esse ex unione deitatis & humanitatis in persona Mediatoris, & quod deitas quatenus carni unita est conferat his operibus Mediationis talem præstantiam & dignitatem, ut sufficiant ad redimendum uniuersum genus humanum, nempe quod ob hanc unionem opera Mediatoris Deo sint grata ob authorem eorum, non autem aliunde ab externo aliquo principio ut opera sanctorum hominum. Atq; ut peculia-

ris est

ris est unio duarum naturarum in persona Mediatoris, & sola Filij persona carni unita est: ita peculiari ratione hæc fieri dicimus, & ad Filij personam referimus. Quare cum in nostrorum scriptis legitur, Christum in quantum homo est Mediatorem aut pontificem esse, primum negamus Christo mediationem cõuenire, si respiciamus in simplicem deitatem, nulla dispensationis seu incarnationis ratione habita: deinde executionem seruilium operum, et sensum omnem doloris, humanæ tantum naturæ attribuimus. Hanc etiam esse Cyrilli & aliorum Patrum sententiam, cum similibus locutionibus utuntur, diligẽs eorum lector facilè animaduertet. Efficaciam autem Mediationis seu reconciliationis nostræ, & omnem dignitatem operum Christi, tribui à Patribus Deitati quatenus in unam hypostasim humanitati coniuncta est, aliquot locis Cyrilli adscriptis, ostendam. Adscribam autem illa tantum Cyrilli loca quæ Bullingerus in suis commentarijs citauit, ut ex his lector æquus uideat, quo sensu Bullingerus Cyrilli superiora quoq; testimonia protulerit. Igitur cap. 17. in Ioannem hæc Cyrilli uerba à Bullingero transcripta sunt. Quare cum Deus & homo Christus uerè sit, oportuit eos intellexisse, ineffabili deitatis potestate una cum eis semper futurum, etiam si carne abesset. Idcirco enim ipse quoq; in superioribus dicebat, Pater sancte serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi: aperte significans deitatis ratione, non carnis præsentia eos posse seruari. Quippe ipsa etiam caro non à sese sancta fuit, sed coniunctione

Cyrillum efficaciã mediationis deitati tribuere.

Verbi, ad Verbi uirtutem quodammodo reformatæ ſalutis atq; ſanctificationis participantibus cauſa eſt. Non ergo carni, ut caro eſt, operationis diuinæ uirtutem, ſed naturæ Verbi attribuimus. Item, Vnuntur autem etiam Deo fideles, & modum ipſe ſaluator aperuit, dicens: Ego in ipſis & tu in me, ut in unum ſint cõſummati. Corporaliter enim Filius per benedictionem myſticam nobis ut homo unitur, ſpiritaliter autem ut Deus, ſui ſpiritus gratia, noſtrum ad nouam uitam, et diuinæ naturæ participationem, ſpiritum redintegrans. Nexus igitur unionis noſtræ ad Deum Patrem Chriſtus eſt: nobis quidem ut homo, Deo autem Patri, ut Deus naturaliter unitus. Nõ erat enim poßibile, corruptioni ſubiectam hominis naturam ad immortalitatem conſcendere niſi natura immortalis, atq; incommutabilis ad eam deſcendiſſet, ac cõmunione, participationeq; ſui à mortalitatis noſtræ terminis, ad ſuum bonum reformatos eleuaret.

Martyris uerba à Stancaro citata.

Porrò ex Martyris commentarijs in 1. ad Corinthios cap. 12. hæc ſequentia pro ſe Stãcarus adducit. Aiunt nonnulli Spiritus ſanctus pro nobis orat, & quidem gemitibus inenarrabilibus, quomodo igitur poteſt eſſe Deus? Occurrunt nonnulli, & aiunt, Filium pro nobis intercedere: qui nihilominus Deus eſt, ideo non eſſe alienum à natura diuina ut oret. Cæterum hoc friuolum eſt, quoniam Chriſtus quæ homo eſt, Patre minor erat, ideo potuit illi fieri ſupplex. Sed ſpiritus ſanctus nullius creaturæ naturam ſuſcepit in unitatem perſonæ, idcirco de illo & de

Chriſto

Chriſto longe diſpar & uaria eſt ratio. Reſponde-
tur itaq; Spiritum ſanctum poſtulare & orare, ut
ad Rom. ſcribit, quod nos ad hæc facienda impellat,
& ideo gemere dicitur, quod nos gemere faciat. Hæc
quidem Martyris uerba Stancarus pro ſe facere &
nobis aduerſari falſo exiſtimat. Tribuit his uerbis
Martyr Chriſto preces ſupplices, quatenus homo &
Patre minor eſt hoc idem in utraq; epiſtola docetur Pag. 68 &
& explicatur, quare hic nulla defenſione aut expli- 29.
catione opus eſt.

Quia tamen Stancarus ſubinde hoc nobis obijcit, Quid
quod Tigurinæ eccleſiæ miniſtri doctrinam ſuam de Zuinglius de Mediatore
Mediatore mutarint, adſcribam hoc loco uerba Hul docuerit.
drichi Zuinglij, qui primus ſingulari doctrina, &
incomparabili conſtantia & robore animi, in noſtris
regionibus Papiſtarum errores oppugnauit: quo ex
his appareat quæ nam eccleſiæ Tigurinæ doctrina
fuerit de Mediatore Chriſto, à primis eius eccleſiæ
initijs. Hæc autem ſunt quæ ab illo in opere Articu-
lorum hac de re ſcribuntur. Hic Mediator Chriſtus Articulo
non duntaxat Deus eſt, ſed ſimul etiam homo, non 19.
ſolum homo ſed ſimul Deus. Nam ſi duntaxat Deus
eſſet, Mediator eſſe non poſſet, Deus enim unus eſt,
unius autem non eſt interceſſor, nec quiſquam ſibi
uni intercedit. Oportet autem interceſſorem aliquo
modo differre ab his inter quos intercedit. Deus au-
tem à ſeſe differre non poteſt, Filium ergo ſuum in-
terceſſorem fecit, in hoc quod caxuem aſſumpſit. Nō
quod ex infirmitate humana ſit interceſſor, ſed ex
uirtute diuinæ naturæ, quæ tamen humanæ naturæ

fuit unita. Vt quoniam humana infirmitas Deo in Christo est unita, nos quoq; per mortem & oblationem Christi reconciliemur & unimur. Et aliquot uersibus interpositis, denuò sic scribit. Misit ergo Deus Filium suum, qui nostram adsumeret imbecillitatem, ut esset intercessor inter Deum iratum & nos peccatores. Intercessor autem est non ut homo purus, nam pura naturæ nostræ imbecillitas, sola intercedere & satisfacere non potuit, sed ut Deus & homo. Qua parte est Deus potest perfecte uoluntatem Dei præstare: sed quid dico præstare? uoluntas Dei est uoluntas Christi. Qua uerò homo est, sacrificium potest esse, quòd pro nobis peccata expiat, & iustitiæ diuinæ satisfacit, eò quòd natura humana in Christo pura est & absque omni peccato. Hæc Zuinglij uerba perspicua sunt, nec ulla explicatione opus habent, hanc doctrinam ille ecclesiæ nostræ proposuit ante annos 40. neq; hæc sententia uel tum uel postea ab ullo ministrorum Tigurinæ ecclesiæ damnata aut reuocata fuit. Præterea huic non aduersari ea quæ in nostrorum hominum commentarijs de Christo Mediatore conscripta sunt, non difficulter animaduertit æquus lector, si singula diligẽter sepositio omni affectu ponderare uoluerit. Iniuriam itaq; nobis facit Stancarus, quando nobis Palinodiam nescio quam ascribit, & nos inconstantiæ accusat aut defectionis: ab eius doctrina non defecimus, quam nunquam amplexi & professi sumus.

9. Postremo loco in priore epistola reprehẽdit nos, quod approbemus confessionem Pinczouianam quæ

sit hæ-

sit hæretica. Nam cū multas confeßiones scripserint Pinczouiani, omnes tamen in se continere hæreses Arrij, Eutychetis, Macarij, Apollinarij, quia docent, Christum Mediatorem nostrum esse secundum utrāque naturam. Suadere deinde nos inquit Polonis, ut hæreses doceāt populos suos, quibus Deus perpetuò blasphematur & conuitijs afficitur. Addit postremò nos uerum ueri Arrij spiritum habere, quod ipsum persequamur proscriptione & exilio per nobiles Polonos. Verum qualem doctrinam approbemus, & quid Fratribus suadeamus ut doceant, ex duabus epistolis manifestum est, ut nulla alia respōsione opus sit: non omnes probant hanc Stancari consecutionē, eos qui dicunt Christum esse Mediatorem secundum utranq; naturam, omnium penè hæreseon conuictos esse. Cum autem iubemus Stancarum & similes sectarios ab ecclesia auertere, non nobilibus hæc scribimus in priore epistola, sed ecclesiarum ministris, qui nullum proscribendi ius habent, sed tantum spirituali gladio utuntur. Et si hæc scriberemus nobilibus, non tamen ideo Arrianis similes essemus, sed potius multis pijs & catholicis episcopis de quorum uoluntate Arrius, Nestorius, & alij hæretici à pijs imperatoribus in exilium electi sunt.

RESPONSIONIS AD LIBRVM FRANCISCI STANCARI Pars tertia, in qua posterior epistola Tigurinorum ad Polonos, contra eius calumnias defenditur.

POsteaquam calumnijs Stancari quibus impugnat priorem epistolam ministrorum Tigurinæ ecclesiæ respondi, accedam ad asserendam quoq; posteriorem epistolam ab eiusdem falsis criminationibus, quas ut in superiore feci, castigationum eius numerum et ordinem seruans, confutabo quàm potero breuissime. Primum uerò Tigurinos ait confiteri, Filiũ Dei secundum naturam diuinam ante incarnationem nõ fuisse Mediatorem. Ex eo colligit, nos cum Caluino pugnare, qui Filium Dei doceat Mediatorem fuisse ante lapsum hominum: & præterea concludit Christum etiam post incarnationem nõ esse Mediatorem, quantum ad diuinam naturam, quoniam eadem natura manet immutabilis quæ ante incarnationem fuerat. Quo spectet hæc ipsius reprehẽsio nos non latet: cupit enim homo turbarum & contentionum studiosus, nos cõmittere cum clarissimo theologo & fratre nobis coniunctissimo D. Caluino, uerũ Dei beneficio arctiori amore inter nos coniuncti sumus, quã ut calumnijs

Reprehensio 1.

lumnijs Stancari locus pateat. Et nobis quidem iniuriam facit Stancarus, quod nos negare inquit, Filiũ Dei ante incarnationem Mediatorem fuisse. Neq; enim hoc nos simpliciter negamus, sicuti etiam Caluinus non simpliciter Mediationẽ Filio attribuit ante incarnationem, sed dispẽsationis ordine. Si igitur spectamus naturam seu essentiam quatenus æqualis est Patri, imò idem cum Patre, diuinæ naturæ non tribuitur mediatio. Sed si spectamus dispẽsationem, nempe quòd Filius incarnandus erat ad redemptionem humani generis, hac ratione illi mediationem nos quoq; tribuimus. Obijcit Stancarus, Filius quoad diuinam naturam semper est Patri æqualis, etiam postquam incarnatus est, ergo etiam postquam incarnatus est non potest esse Mediator secundum diuinam naturã. Verũ hæc consecutio à nobis negatur: ambiguè enim hic accipitur, id quod dicitur secũdum diuinam naturam, nam primum opponitur ei quod dicitur secundũ dispensationem fieri: postea opponitur humanæ naturæ. Verbum itaq; si spectamus puram deitatem et ut Græci dicũt theologicè loquamur, non fungitur Mediatoris munere secundum diuinam naturam, hoc est quatenus idẽ cum patre est: si uerò spectamus incarnationem, Christus secundum diuinam naturam, hoc est in persona Christi nõ tantum humana natura, sed Verbum hoc est Deitas quæ in persona Filij carni est unita non secundum quod Patri æqualis imò una eademq; deitas est, sed secundum dispensationem fungitur hoc munere, non humana natura tantum ut Stancarus doc , sed Verbum humanæ naturæ iunctum

An Christus fuerit Mediator ante incarnationem.

Mediationem una cum humana natura perficit. Si igitur Stancarus docet Filium Dei, secundum humanam naturam, hoc est non quatenus æqualis est Deo Patri, sed quatenus fuit incarnandus, uel iam incarcarnatus Mediatoris munere fungi, facile nobis cum illo conuenire poterit. Non autem esse absurdum aliquid in Christo non conuenire si nudam eius deitatem spectemus, & illud eidem conuenire quatenus incarnatus est, manente deitate immutabili, alio exẽplo ostendam. Christus est Emanuel, si spectamus nudam deitatem hoc Christo non conuenit, æque enim, à nobis ac à Patre distat: neq; tribuitur hoc nomẽ humanitati nudæ, illa enim non est Deus: sed carne assumpta Filius Dei est noster Emanuel. Sic incarnationem diuerso aspectu proprietatẽ Filij esse aut non esse Cyrillus docet, sicut in prima parte annotaui.

2. Secundo loco nos rursus Eutychianos & Macarianos facit, quod oblationem sacrificij Christi dicimus opus esse utriusq; naturæ: & præterea huic cõtradicere aituerba superius à nostris posita, quædã opera conuenire diuinæ, quædam humanæ naturæ. Hæc quidem eius more calumniari facile est, at testimonium apostoli allatum illi non ita facile fuit refutare, itaq; illud silentio præterijt. Si uoluntates & operationes atq; naturas cõfunderemus, essemus Macariani, nunc quãdo his omnibus distinctis, utriq; naturæ opus totum damus, falso Macariani dicimur. Quomodo autem utriq; naturæ sacrificium authoritate Pauli tribuatur diserte in posteriori epistola exponitur. Contradictio uerò hic plane nulla est:

mors

mors & miſsio Spiritus ſancti ſunt opera duo, quorũ hoc diuinæ, alterum humanæ naturæ cõuenit, ſic alia quoq; alterutri naturæ attribui poſsũt: hoc tamen nõ obſtat quominus utriq; naturæ opus unum aliquod tribuamus, ut ſacrificiũ: nam et hoc ipſi deinde diſtinguentes, diuerſas operationes ſeu opera pro eorum qualitate diuerſis naturis attribuimus: corpus enim uictimæ eſt & humanæ naturæ dolores tribuuntur: ſed huius ſacrificij dignitas, quòd Deo placet & efficax eſt ad conſcientias purgandas, pendet à natura diuina, ideo Paulus dicit Chriſtum per ſpiritum æternum ſeipſum obtuliſſe.

Blaſphemiæ deinde nos condemnat noſter aduerſarius, quòd ſcripſimus in perſona Mediatoris utraſque partes litigantiũ haberi coniunctas. Fingit enim nos in Chriſto duas naturas ſtatuere inter ſe pugnãtes: cum nos hoc dicamus, partes litigantes, id eſt diuinam & humanam naturam, eſſe in Chriſto coniunctas qui Deo & nobis cõſubſtantialis eſt. Obijcit aduerſarius humanam naturam in Chriſto abſq; peccato eſſe, ideoq; diuinæ nõ repugnare: quaſi uerò nos dicamus litem inter duas Chriſti naturas eſſe? Humanitas Chriſti eſt pura à peccato, eadem tamen eſt cũ noſtra natura, alioqui nobis cõſubſtantialis nõ eſſet: cum ergo humanitas Chriſti eiuſdẽ nobiſcũ, qui pars una litigans ſumus, naturæ ſit, & hæc coniuncta ſit deitati alteri parti litiganti in unam perſonam, iure dicimus in perſona Mediatoris utraſq; partes litigãtium haberi coniunctas. Simili locutione Patres dicunt, Mediatoris proprium eſſe utrorunq; partici-

3. An in perſona Mediatoris coniunctæ ſint partes litigantes.

pem fieri quorum est Mediator.

4. Rursus in eo quod à nostris scriptum est, in epistola ad Hebræos Mediatorem constitui sacerdotem qui cœleste tabernaculum penetret, id autẽ Christo non conuenisse qua homo est, duplicem ait blasphemiam esse. Primũ quod Filius Dei quatenus Deus est constituatur sacerdos, cũ Dei sit constituere nõ cõstituere: alterũ quod Filius ut Deus non ut homo dicatur penetrasse cœleste tabernaculũ. Quàm uerò iniquè blasphemiæ nos hoc loco accuset aduersarius æqui et moderati lectoris iudicium esto. Dicimus in epistola ad Hebræos, Mediator sacerdos constituitur: hoc est in epistola ad Hebræos statuitur, docetur & ostenditur ad officiũ Mediatoris pertinere ut sit sacerdos: in hoc dicto quæso ubi est blasphemia aliqua? Dicis in eo esse blasphemiã quod Deus dicatur constitui sacerdos: cũ enim omnia ab ipso constituantur, blasphemũ esse si dicamus Deũ hoc uel illud constitutũ esse? Equidem si quoad substantiam diceremus Deum factum esse aut constitutum, aut si quoad officia certa dicamus eum quasi à superiore aliquo constitutum esse exempli causa sacerdotem aut Mediatorem, haberet forte hæc accusatio locum: nos autem nihil tale diximus, sed Mediatorem dicimus statui pontificem, tribui illi hoc officium. Vt autem maxime dicatur alicuius officij ratione, Deum quoad nos hoc uel illud factum aut constitutum esse, id tamen cum scripturis non pugnat, in quibus Deus dicitur factus esse protector & adiutor in salutem. Cum autem dicimus Christo non conuenire qua homo, ut sit sacerdos

Quomodo Filius Dei constituatur sacerdos.

Quomodo Christos penetrauit cœlum ut Deus.

ſacerdos penetrans cœleſte tabernaculum, non ideò negamus Chriſtũ ſecundũ diuinam naturam in cœlis ſemper fuiſſe, neq; dicimus deitatem more creaturarum à loco ad locum moueri, ſed cum apoſtolus duo genera faciat ſacerdotum, eos qui ex hominibus aſſumpti in terra ſuo munere funguntur, & magnum Pontificẽ qui penetrauit cœlos, hoc ideo dicimus illi non conuenire qua homo fuit, quòd humana natura in cœlos aſcendere & eos penetrare non potuiſſet, niſi à diuinitate huc euecta fuiſſet. Si ad pontificatum obeundum tantum humana natura ſufficiebat, cur hoc toties urget apoſtolus Pontificem noſtrũ Filium Dei eſſe, quod Chriſto non tribuitur abſq; diuinitatis reſpectu.

Porro quod ſcribimus Stancarum fingere naturam diuinam poſſe authoritatiue mediatricem uocari, nuſquam in ſuis libris legi aſſerit, interea tamen ſæpe hoc repetit Chriſtum ſecundum diuinam naturam eſſe authorem mediationis cum Patre & Spiritu ſancto, quod quid aliud eſt quàm authoritatiue aliquid facere. Expoſtulat nobiſcũ quod libros ipſius ad nos miſſos legere noluerimus: perinde quaſi uacui à cura rerum eccleſiaſticarum, omißis omnibus alijs ſtudijs atque negotijs, nihil aliud habeamus in quo tempus ponere uel potius perdere debuerimus quam in legendis Stancari calumnijs atque conuitijs. Addit, ſi eos legerimus, nos uerè peccare in ſpiritum ſanctum, quia manifeſtißimam ueritatem in libris eius agnitam impugnemus? Scilicet manifeſtißima ueritas eſt Stancari ſententia de Me- 5.

diatore, & hanc ita ſolide, ita perſpicuè proponit magnus hic theologus, ut ſtatim neceſſe ſit omnes illi aſſentiri. Fateor equidem nos hac in parte luſcioſos eſſe, nam hactenus manifeſtiſſimam hanc ueritatem non uidimus, ſed primum nonnulla ſophiſmata, deinde maledicta, conuicia, calumnias multas admodum & graues, ſed tamen falſiſſimas. Exponit deinde ſuam de Mediatore ſententiam, exemplis in medium allatis, quæ uelim diligenter ab omnibus expendi, propterea quod hæc omnino Neſtorium reſipiant. Chriſtum inquit ſecundum humanã naturam eſſe Mediatorem, ſecundum diuinam cum Patre & Spiritu ſancto eſſe authorem mediationis: ſicuti in liberatione Aegyptiaca Deus eſt author liberationis, Moſes & Aaron mediatores: ſicuti Deus cauſa eſt illuminationis mundi, Sol medium. Ergo ne bone uir deitas ita operata eſt in Chriſto ut in prophetis, ut in Sole, ut in alijs rebus creatis? Itaque operum Chriſti dignitas uis & efficacia ab externo principio dependet? Fruſtra igitur in ſacris literis, & ab orthodoxis Patribus nobis commendata eſt arctiſſima illa unio, qua duæ naturæ nimium quantum diſtantes, diuina & humana in una Chriſti perſona coniunctæ ſunt. Quid enim hac coniunctione opus erat, ſi deitas non aliter per carnem aſſumptam operatur quàm per Moſem aut Aaronem, aut quemuis alium ſanctum hominem. Quia uerò hanc doctrinam non recipimus, nos in reprobum ſenſum traditos eſſe clamat. Verum ne cogatur noſtrorum argumenta refellere, magno faſtu epiſtolas

à mini-

à ministris nostræ ecclesiæ scriptas contemnit, & fatue, imprudenter, ignoranter, malitiosè & impie scriptas esse pronũciat: sed si hoc est argumenta cõfutare, alicui conuitiari, facilè etiam scurra aliquis Stancarum quamuis in maledicendo exercitatißimum, superabit.

Proxima castigatione idem agit quod & in prima reprehensione posterioris epistolæ, quare respõsione quam eo loco dedimus contenti, lectorem illuc remittimus, Addit tamen aliquid peculiare, non esse dicendum, Ante omnem æternitatem, qua locutione nostri usi fuerunt. Nam particulam Ante tempus significare, æternitatem uerò principio & fine carere, itaq; tempus ante ipsam nullum esse. Verùm si particula Ante semper significat tempus, quod cũ cœlo ortum habuit, quomodo intelligẽdum est quod ab Apostolo scribitur, nos ante iacta mundi firmamenta electos esse? quod tempus Ante hic significat? Certè ante iacta mundi fundamenta, cœlum & proinde tempus quoq; nondum fuit. Nos autem hac locutione nullum tempus ante æternitatem constituimus, sed apostolica phrasi usi sumus, ad æternitatem significandam, qua Paulus ad Titum & ad Timotheum utitur. Non obijciatis mihi inquit Stancarus hos locos: ita ne uerò tu arbitrio tuo nos inuades, & simul præscribes quibus armis nobis utẽdum aut abstinendum sit? Erasmus inquit indocte uertit ante tempora æterna, apostolus enim uoce αἰωνίου utitur, αἰὼν uerò non æternitatem sed seculum significat, quod tempus est diebus & horis discretum, fateor 6.

An possit dici Ante omnem æternitatem.

αἰῶνα aliquando seculum significare, aliquando tamen æternitatem quoque significat, quomodo enim alias, ut reliqua omittam, Deus nomine hinc deriuato αἰώνιος appellaretur. Quod si Erasmus hoc loco indoctè uertit tempora æterna, quid dicemus de Hieronymo, de Augustino, de Hilario, qui hac locutione usi sunt, & uerba Apostoli sic transtulerunt, num & hi Erasmum secuti sunt? Si quæras quid significet hæc locutio antè æterna tempora, remittam te ad Augustinum de ciuitate Dei lib. 12. cap. 16. & libro Octogintatrium quæstionum, quæst. 72. Postremò, discite inquit Tigurin. Theologiã. Nos uerò in eo sumus & elaboramus, ut quotidie proficiamus in rebus diuinis cognoscendis: tam enim latè patet hoc studium, ut semper inuenias unde proficias, & quo plus didiceris plus tibi deesse uidebis, modo pietas & modestia cum studio doctrinæ coniuncta sit, quam ut discas (nam te illa carere satis testimonij tua scripta perhibẽt) te etiam atq; etiã adhortor Stancare. Deinde hoc à te quæro, cùm Tigurinos neges esse Theologos, ac tantum grammaticos & quidem indoctos homines, quare uolueris Bullingeri homunis grammatici commentarios in epistolam D. Iacobi penè ad uerbum in Italicam linguã transferre, & sub tuo nomine, tanquam tuum ipsius opus in publicum edere?

7. An semper diuersæ sint naturæ quorum opera sunt diuersa.

Sequitur deinceps alius locus in quo nos ita constrictos teneri arbitratur, ut non posßimus elabi. Repetitur sæpè in Sexta synodo cuius auctoritatem nos approbauimus, hæc sententia, Quorum opera sunt

ſunt diuerſa, eorum naturæ quoq; ſunt diuerſæ. Hanc ſententiam Stancarus ſtatuit ita uniuerſalem ut nullam exceptionem nobis concedat. At nos eo modo hanc regulam recipimus quo illa utitur ſexta ſynodus, & quod illa ex hac regula probat naturarum diuerſitatem in Chriſto ex uoluntatū & operationum diuerſitate, libenter admittimus: dicimus tamen non ita uniuerſam eſſe, quin aliquam exceptionem patiatur. Nam primum ut arbitror ipſe aduerſarius nobis hoc dabit Patrem generare, & Filium generari, quæ ſunt diuerſæ actiones, & tamen nihilominus eadem eſt natura ſeu eſſentia Patris & Filij. Deinde Filius mittitur, Pater mittit, Filius aſſumit carnem, Pater & Spiritus ſanctus non aſſumunt. Reſpondet aduerſarius, miſſionem eſſe manifeſtationem & miſſionem Filij ad incarnationem eius pertinere, & nos hic ad Athanaſium remittit. Aſſumptionem etiam diuidit more ſcholaſtico ſecundum principiū & terminum, ac neſcio quod trium puellarum exemplum è Bonauentura adducit, qua de re ego illi litem non mouebo. Hoc ſolūmodo cupio ut mihi expediat, an nulla ſit diuerſitas in eo quod Pater uoluit Filij perſonam non ſuamipſius incarnari, & Filius uoluit ſuamipſius non Patris perſonam incarnari, & hominem non ſibi coniunxit Pater ſed Filio, Filius autem ſibi, non Patri: eſt certè aliquod diſcrimen, cùm tamen Patris & Filij una eademq; ſit eſſentia. Neq; nos ideò contendimus regulam hanc aliquam exceptionem habere, ut naturam Patris à Filij natura ſeparemus: abſit: ſed ut perſonas ma-

nente unitate imò identitate essentiæ distinguamus, ut maneat nobis inconfusa sacra trinitas. Atq; hac de re satis superius disputauimus, & Patrum testimonijs probauimus, etsi eadem sit trium personarum essentia, & eadem uoluntas atq; communis operatio, tamen nihilominus exemplo & testimonio sacrarum literarum, quædam proprie Patri, alia Filio, alia item dari Spiritui sancto, ad exprimendam ueram trium personarum distinctionem. In eundem finem hac ipsa de re duo alia testimonia hoc loco adscribam. Primùm Victorini ex libro de generatione diuinitatis, qui sic scribit. Ipse spiritus differt propria actione sua à Filio, sicut & ipse Filius actione differt à Patre suo qui tamen sit Pater iuxta id quod est esse, sitq; istorum trium unum & idem existentium una diuinitas & non multifida maiestas, sed ὀνδὲ ἀντίθεια, μήτε ἄθεια: sed tria unum, & unum tria, & ter posita unum idem atq; solum. Alterum uerò desumptum est ex Dionysio quem Areopagitam nominant, quo usa est sexta synodus Action. 4. Discreta est autem circa nos benignißima Dei operatio per hoc, quod secundum nos ex nobis integre uereq; humanatum est uerbum quod est supra substantiam, & operari, & pati, quanta humanæ eius & diuinæ operationi cõgruunt præcipua ac probabilia. His nãq; Pater & Spiritus sanctus nulla ratione communicant, nisi quis dixerit secundum benignißimam & misericordem uoluntatem & per omnem sublimissimam & ineffabilem Dei operationem quam operatus est secundum nos factus incommutabilis ex eo quod

Lib. 2. de diuinis nominib. cap. 2.

quod Deus & Dei Verbum. His testimonijs explicandis immorari nolo, cuius enim gratia ea adscripsi, id manifestum est: manente scilicet unitate essentiæ propter uerā personarum distinctionem, differentes actiones attribui Patri & Filio. Porrò quoniam aduersarius missionem Filij ad incarnationem refert, & rectè, atq; nos ad Athanasiū remittit, adscribam & ego Athanasij de missione sententiā paucis uerbis comprehensam. Non ut homo missus est, sed ut Deus & homo Filius à Domino Patre. In Euāg. de deipara uirgine.

8. Octauo loco castigandum sibi putauit argumentum nostrorum desumptum ex epistola ad Hebræos, de sacerdotio secundum ordinem Melchisedeci, hanc enim rationem ualere quoad personam, in qua etiam ipse non neget duas esse naturas, sed aliā esse rationem officij, illud enim tantum ad humanam naturam pertinere. Sed si hæc eius ratio uera est, non nobis sed apostolo litem intendat, qui ex persona argumētum desumpsit ad declarandam præstantiam sacerdotij Christi, & Christum inquit esse sacerdotē secundum ordinem Melchisedec, hunc ordinem sic explicat, quod sacerdotiū Christi sit æternū et superius Leuitico: hoc autem inde ostendit quod Melchisedeco sacerdoti aliqua æternitas nō uerè sed typicè tribuitur, & quod maior fuerit Abrahamo, nam Abrahamus illi decimas dedit, iuxta hunc ordinem noster Pontifex est æternus, & eius sacerdotium aliud à Leuitico & illo est præstantius. Aeternus autem dicitur non humanitatis sed diuinitatis respectu. Quāobrem dignitas sacerdotij non ab humana sed à diui-

na natura dependet: quæ si cum officio nullo modo coniungitur, quomodo ab ea officij præstantia, dignitas, uis, efficacia pendet: si tantum ad humanam naturam pertinet sacerdotium, quomodo apostolus Christum inquit ex ui indissolubilis uitæ sacerdotem factum esse, quomodo item dicitur seipsum obtulisse per spiritum æternum? Negat Stancarus se à persona sacerdotis remouere diuinam naturam, sed à sacerdotio, aliud esse ait sacerdotium aliud sacerdotẽ, ô magnum acumen, quis hoc nosset nisi Stãcarus nos hæc doceret. Quæritur quæ natura obeat munus sacerdotij, quandoquidem Pontifex noster duabus cõstat naturis: Quæro igitur an posit excludi à munere seu officio sacerdotis ea natura, sine qua Mediator non potest esse sacerdos, quæ inquam ad hoc requiritur ut sit sacerdos, quod de diuina natura in nostro pontifice docent sacræ literæ. Non enim simpliciter tradunt Pontificem nostrum esse Deum & hominem, sed ad hoc ut sit Pontifex requirunt, ut sit Filius Dei, ut sit æternus. Quare in hac ratione Stancarus non nostram sed potius suamipsius uel malitiam uel ignorantiam prodit. Profert aliqua Patrum testimonia qui dicunt Christum secundum humanitatem Pontificem esse, qui tamen se explicant quomodo intelligendi sint, quod per mortem & passionem se obtulerit, & ita sacerdos & sacrificium fuerit: nisi enim humanitatem assumpsisset, diuinitas sola nõ fuisset Pontifex aut sacerdos, & mori ac pati ad humanam naturam pertinent. Attamen si efficaciam sacerdotij spectamus, ab eisdem Patribus sacerdotium

cerdotium utriq; naturæ attribuitur: id quod Ambroſij (quo teſte etiam aduerſarius uſus eſt) uerbis oſtendam. Vitam uerò in ſeipſo habens inſolubilem quamuis ad tempus mortuus eſſet carne, tamen in æternum diuinitate & humanitate Mediator inter Deum & homines, ſemper uiuens eſt ad interpellãdum pro nobis. Equidem ſcio in eiuſdem epiſtolæ enarratione Ambroſium dicere Chriſtum ſacerdotẽ eſſe propter carnem quam aſſumpſit: ſed aliud eſt perſonam Chriſti in qua ſunt duæ naturæ propter aſſumptam carnem eſſe ſacerdotem, aliud ſacerdotio fungi tantùm aſſumptam carnem ſeu humanam naturam. Niſi enim diſpenſatione quadam cum æqualis Deo eſſet ſeipſum forma ſerui ſumpta exinaniſſet, non eſſet Mediator Pontifex aut ſacerdos: interea tamen non forma ſerui ſola fungitur pontificatu, ſed in ea efficax eſt Verbum quod formam ſerui aſſumpſit.

In epiſtolam ad Heb. 7. cap.

Poſtremo loco Tigurinos inquit non affirmare ſe eſſe Neſtorianum, quare ſibi etiam nulla defenſione opus eſſe: qua in re quod non damnatus fuit ſimpliciter à noſtris, plus debet illorum modeſtiæ quàm ſuæ innocentiæ. Nam ſi in eius dicta omnia inquirere liberet, & eius more detorquere ipſa in alienum ſenſum, non modo Neſtorianæ uerumetiam Sabellianæ hæreſeos accuſari iure poſſet. Reliquas gloriationes quas addidit, homini uano & arroganti concedamus, ut ijs ſeſe oblectet. 9.

RESPONSIONIS AD LIBRVM FRANCISCI STANCARI, Pars quarta, in qua Patrũ testimonia à Tigurinis producta à falsis interpretationibus eius asseruntur.

QVONIAM *aduersarius propria tractatione impugnauit testimonia è Patribus adducta in posteriori Tigurinorum epistola, existimaui mihi quoq; eius consilium sequendum esse, itaq; hanc responsionis meæ partem à superiori distinxi, quo omninò uestigijs illius insistens, quæcunq; ille impugnauit & inuasit paucis defendam. Inter omnia uerò Patrum testimonia primum locum tenet Ephesina synodus eiusq; canon decimus, hunc aũt aduersarius loqui ait de persona Christi pontificis, non autem de officio: Nestorianos enim negasse Verbum esse pontificem sed hominẽ cõceßisse. Quid igitur in uniuersũ cõtra Nestorium statuerit Ephesina synodus, ex actis synodi & Cyrilli quoq; scriptis, qui synodo præfuit, notum est. Quod autem in hoc anathematismo non tantum doceat personam nostri Pontificis constare duabus naturis diuina & humana, sed præterea etiã de officio loquatur, ex Theodoreti & Orientalium reprehensionibus cognosci potest: Illi enim obijciebant, Si Verbum est sacerdos, cui uel quali Deo ministerium*

Ephesina synodus.

ministerium suum offert? Quomodo item de Verbo dictum fuisset à Paulo, preces obtulisse, præ reuerentia exauditum esse, obedientiam didicisse? Respondet Cyrillus, modum sacrificij non esse humanum, sed hunc sacerdotem omnium fidem, hoc est fidei confessionem, sibi consecrare & sanctissimo Patri. Eundem alio modo humano more sacrificio fungi propter dispensationem. Et sacerdotem quidem propter humanitatem eum appellari inquit, quod etiã Stantarus nobis opponit, seipsum tamen explicat, si solum fuisset & absq; carne Verbum, utiq; non conueniisset illi sacrificare: quod nos quoq; dicimus. Attamen quamuis humanitate assumpta factus sit sacerdos Filius Dei, officium tamen ad totam personam pertinet, quæ simul est Deus & homo, ut humilia ad humanitatẽ referamur, excellentia ad diuinitatem, pontifex enim noster ut Deus sedet in dextra throni magnificentiæ in sublimibus. Respondet aduersarius se quoq; dicere Deum uerbum hominem factum esse Pontificem, sed tantum secundum humanitatem. Sed cùm de officio sacerdotis agitur omnia humanæ naturæ attribuit, quæ aũt diuina sunt Verbo ita tribuit sicut Patri & Spiritui sancto. Quæ nam igitur unio est Verbi & hominis in persona Pontificis nostri, si Verbum nihil efficaciæ aut dignitatis confert mediationi: aut si non aliter ea confert quàm Pater & Spiritus, ergo non aliter coniunctum est carni quam Pater & Spiritus sanctus? Equidem hac ratione non unio illa statuitur quam synodus approbauit, sed copulatio externa, qualem finxit Nestorius,

In Resp. ad Reprehen. Theodoreti anathem. 10.

quam nos quoq; habere Cyrillus inquit, qui socij diuinæ naturæ per Spiritum effecti sumus. Cum de Mediatoris persona Patres disputant, nõ tantum docent Mediatorẽ nostrum esse Deum & hominẽ, sed ostendunt neminẽ posse fungi hoc officio nisi sit Deus & homo: quod si humanitas omnia efficit, & nullæ hic sunt partes diuinæ naturæ, nescio quã rectè hoc ab illis statuatur. Si spectamus paßionẽ, persona quæ passa est fuit Deus & homo, at pati potest etiam homo: uerum alia ratio est mediationis, nullus enim qui purus sit homo, potest nos Deo reconciliare, quod Mediatoris nostri munus est. Atq; ut ad synodi uerba redeam, apertè inquit Verbum esse pontificem factum quando factum est caro: Verbum autem nõ dicitur de humana natura, non de persona Christi quæ duabus naturis constat, sed de persona Filij quoad diuinam naturam: cùm igitur Verbum inquit factum esse sacerdotem assumpta humana natura, an non ita officium sacerdotis tribuit huic personæ quæ duabus naturis constat, ut nullo modo excludi posit Verbũ ab hoc officio, si enim excludas ab officio, quomodo Verbum dicitur sacerdos si nihil ad Verbum pertinet sacerdotium?

Irenæus. Irenæi sententiam quæ secundo loco ponitur, truncatam à nobis allegari inquit. Videamus igitur uerba quæ omissa esse queritur: Si enim homo non uicisset inimicum hominis, non iustè uictus esset inimicus. Rursus autem nisi Deus donasset salutem, non firmiter haberemus eam, & nisi homo coniunctus fuisset Deo nostro, non potuisset particeps fieri incorruptio-

corruptibilitatis. Disputat hoc loco Irenæus contra Valentinianos, qui humanæ naturæ ueritatem in Christo negabant, & ostendit nostræ salutis rationem hoc exigere, ut Christus sit uerus homo & Deus: non enim iusta esset uictoria si homo non pugnasset aduersus inimicum hominis: si scilicet Deus fuisset cum Satana congressus: rursus si homo non fuisset assumptus à Deo, non potuisset uincere hostem, & nos saluare: quare concludit, Mediatorem Dei & hominum per suam ad utrosque domesticitatem in amicitiam & concordiam utrosq; reducere. Obijcit Stancarus totum salutis mysterium ab Irenæo exponi, & quod Deus per hominem uicerit diabolum, hoc Mediatoris esse, quod salutem det, hoc Dei authoris. Et ut hoc probet duo alia loca ex quinto Irenæi libro adscribit, in priore dicitur Mediatorem propiciare pro nobis Patrem & donare nobis eam quæ est ad factorem nostrum conuersationem & subiectionem: in posteriore, Verbum Dei inquit per hominem uicisse apostatam et eum subiecisse homini. Ex his autem colligit, hominem esse seruum, organum, mediatorem, Deum esse authorem. In hac eius interpretatione quæro si Mediator est reconciliator, an non rectè summa salutis in mediatione, hoc est reconciliatione qua Deus nobis propitius fit, constituatur? Deinde quæro cur ipse ea opera quæ Irenæus Mediatori tribuit, ita diuidat ut alia dicat esse Mediatoris alia authoris, cum hæc authoris & Mediatoris distinctio nusquam ab Irenæo ponatur? postremò cupio ut ostendat quid hoc

loco differat à Nestorio, hominem facit seruum, organum, medium, Mediatorem per quem operatur author Deus Pater Filius & Spiritus sanctus? Non enim potest dicere hominem esse organum Verbi, ita uti anima est corporis organum, nisi etiam dicat Patrem & Spiritum sanctum incarnatos esse: nam illum aut Verbi unionem tollere, aut hoc concedere oportet, aut unionis ratione peculiarem efficaciam Verbo in mediatione attribuere.

Chrysostomus. In Chrysostomi testimonio refutando denuo nos accusat quod sententiam truncatam adduxerimus, deinde quod omissis perspicuis testimonijs obscura hinc inde, ut ait, uenemur. Interea tamen misere se torquet ut dilucidissima uerba Chrysostomi obscuret, & quasi sepia quædam suo atramento sophistico tenebras claris uerbis inducit. Primum uerò Chrysostomi uerba à nobis omissa adscribit, atque multis uerbis exponit, Filium à Deitate non excludi quando ab Apostolo dicitur unus Deus, quæ de re nulla est inter nos controuersia, nos enim unum Deum agnoscimus in tribus personis, eosq; damnamus & execramur qui duos tresue Deos faciunt, aut Filij essentiam aliam quam Patris esse dicunt: quare non necesse fuit, uel nos ea uerba Chrysostomi adscribere, uel Stancarum tam multis hac de re agere. Secundò ait Chrysostomum personam Mediatoris describere, & nomine Mediatoris pro nomine medij uti: sed cùm Chrysostomus medij nomen quoque ponat, & absque discrimine his duobus nominibus utatur, quod & alij Patres faciunt, hinc colligo,

colligo, discrimen quod Scholastici ponunt inter mediatorem & medium, esse inane aut exigui momenti. Medio præterea tribuit Chrysostomus non tantum partes contingere, sed etiam connectere, quod Mediatoris est, & ad utranq; naturam pertinet. Addit aliud è sophistarum scholis petitum, Mediatoris nomen à Chrysostomo accipi æquiuoce, quando de duabus naturis loquatur personam, quando de officio, unam naturam eũ intelligere: hæc scilicet est lux quam Stancarus Patrum sententijs intulit, à quo nos accusamur quod obscura loca præteritis clarioribus adduxerimus: si ita licet in eadem sententia uerborum sensum nostro commodo mutare, facilè omnia testimonia Patrum eludi poterunt. Officium Mediatoris facit Chrysostomus cum Deo colloqui, ex eo colligit secundum humanitatem Mediatorem esse, & secundum diuinitatem Deum cum quo colloquatur Mediator. Sed longè alium sensum esse Chrysostomi uel me tacente ipsius uerba indicãt, negat purum hominem posse Mediatorem esse, quoniam eum oportet cum Deo colloqui, neque etiam Deum solum, quod Deum non suscepissent hi quorum Mediator accederet: quid ergo? num ex his concludemus hominem mediatorem esse, aut Mediatorem nostrum secundum humanitatem cum Deo colloqui, an potius, hoc munus conuenire ei qui sit Deus & homo? Hæc. n. persona ex eo quod Deus est habet suam excellentiã ut possit apud Deum nostrã causam agere: ex eo aũt quod homo est eam ut nobis coniunctam suscipere possumus. Citat deinde alia loca Chry

Soſtomi (nam de Auguſtino ſuo loco dicetur) 2. Cor. 5. in uerba Pauli. Qui reconciliauit nos ſibi ipſi &c. quo loco facit Patrē & Filium authorē unum reconciliationis: idipſum nos quoq; docemus: ſed ut unus idemq; eſt Pater & Filius eſſentia, & tamen Filius miſſus eſt, nō Pater, ita Filius quoq; Mediator eſt hac ratione qua miſſus eſt, unde Chryſoſtomus, Filium inquit miſit, non aūt ille exhortabatur ſolus, ſed cū illo & per illum Pater: quatenus ergo miſsio illi peculiariter conuenit, & quidē non ut homini ſolum, ſed ut Deo & homini authore Athanaſio, hactenus etiā illi peculiariter mediationem adſcribimus. Profert deinde alterum locum ex comment. in epiſtol. ad Hebr. ubi Chryſoſtomus inquit Mediatorem non eſſe Dominum eius rei cuius Mediator eſt: hoc autem nō conuenire diuinæ naturæ agnoſco, ſi naturam ipſam ſpectemus, at exinanitionis ſeu diſpenſationis eſt alia ratio, qua poteſtatem quam habet, ſibi non uēdicat ſed quaſi ſeponit: interim tamen hunc Mediatorem Filiū Dei nominat, quod illi abſq; reſpectu diuinitatis non conuenit. Inquit eum ſermones detuliſſe & attuliſſe ea quæ à Patre mittebantur, quod officiū nudæ humanitati nō tribuitur, ſed Filius unigenitus qui eſt in ſinu Patris eius uoluntatem nobis annuntiaſſe dicitur. Adducit præterea ex eodē comment. hæc uerba, Incipit à carne, aſcendit aūt ad diuinitatem ubi iam non eſt cōparatio: item, Fidelem inquit exiſtimem ei qui ipſum apoſtolum conſtituit & Pontificem: nihil hic de eſſentia loquitur, neq; de diuinitate, ſed interim de dignitatibus humanis. Egregia ſcilicet ratio, apoſtolus

ſtolus præpoſiturus Chriſtum Moſi ſecundum cõparationem, ad legem ſacerdotij ſermonem tranſtulit: uerbis Chryſoſtomi utor: non enim exiguam opinionem de Moſe habebant omnes: & præmittit iam ſemina excellentiæ: & incipit quidem à carne, aſcendit aũt ad diuinitatem, ubi iam non eſt comparatio. Quid? his uerbis diuinitas ab officio mediationis excluditur? ſemina excellentiæ huius ſacerdotij ab humana natura petuntur, ſumma excellentia in diuinitate ſacerdotis noſtri poſita dicitur: non igitur exclu dit diuinitatem cum inquit nulla eſt comparatio, ſed oſtendit excellentiam hac parte incomparabilem. cũ inquit incipere à carne, non ad ſolam carnem ſacerdotium refert, ſed carni inferiorem gradum tribuit, perfectionem diuinitati: ſi ad diuinitatem ſacerdotium non pertineret, ſiſteret comparationem in carne, non ad diuinitatem aſcenderet. Præterea cum apoſtolus Chriſti miniſteriũ & Moſis diſtinguat, quod hic ut ſeruus, Chriſtus ut Filius adminiſtret domũ, ſequitur eum diuinã naturam nõ prorſus excludere, nã abſq; eius reſpectu non dicitur Filius Dei. Addit deinde alias ſententias: de incarnatione loqui apoſtolum quando inquit, pro reuerentia ipſum exauditum eſſe: item didiciſſe obedientiam ex his quæ paſſus eſt: item, Chriſtum ſacerdotem factum eſſe quando carnem ſuſcepit: De eo qui eſt ſecundum carnem dici quod interpellet. Quas locutiones omnes nos admittimus, & quis ſenſus Patrum ſit, & quod ideò diuinitatem non in uniuerſum à mediatione excludant, aliquoties oſtendimus. Quæ præterea addit,

Chrysostomum habuisse textum corruptum ab Arriano aliquo, & si senserit Christum esse Mediatorẽ secundum utranque naturam, se eum in hoc reijcere, quod sexta Synodus hanc doctrinam damnarit: responsione indigna sunt, & falsissimum est quod scribit de sexta Synodo. Quamobrem nulla etiam est responsio, quod authoritate sextæ Synodi reijcit, aliud atque apertum testimonium Chrysostomi ex Epistola ad Galatas, quo loco ille Christum Mediatorem uocat ante assumptam carnem. Vnum tantum quæro, cùm Chrysostomus apertè dicat Filium apud Patrem intercedere, & Verba Pauli unus Deus, de Patre (uti Stancarus ipse affirmat) interpretetur, quare nos cum idem dicimus hæreseos damnet & Chrysostomum absoluat? Præsertim cum idem cum Chrysostomo doceant Theophilactus ex Græcis & ex nostris Ambrosius, ut nunc alios omittam: nam quod inquit, ipsos hæc non eodem sensu scribere quo Arriani, hoc etiam de nobis uerè affirmare possumus.

Theophilactus.

Chrysostomũ sequitur Theophilactus qui eius paraphrastem egit: huius testimoniũ itidẽ ut supra quæritur principio & fine truncatũ esse. In principio. n. eum ostendere Christum esse Mediatorem secundum humanitatem, in fine, eundẽ Christũ esse unum cum Patre Deum, qua de re quia nobis nulla cum illo cõtroversia est, principium tantum uerborum Theophilacti apponam. Quum dixisset Deum omnes æternum uelle beari, cõfirmat iam hoc inquiens, Propter hoc, inquit, et Filium suũ mediatorẽ misit, ut reconciliaret

conciliaret seipsum hominibus. Quomodo igitur nõ seruati sunt omnes? Quia nolunt. Porro cum ait unus Deus, non ad differentiam Filij, uel ut opponeret Filio dixit, uerum idolorum respectu dixit. In his uerbis nihil uideo quod probet mediationem tantum humanæ naturæ competere: neque Stancarus ostendit quomodo id ex his uerbis confici poßit: nam alia uerba quæ præterea adducit, Non dixit manifestè de diuinitate Filij, quoniam idolorum cultus tum regnabat: nostram potius quam illius sententiam defendunt: reddit enim rationem cur apostolus dixerit Mediator Dei & hominum homo Iesus Christus, & non etiam addiderit Deus, nempe quia ante dixerat Deus unus, si rursus Mediatorem quoq; Deum nominasset, potuissẽt Gẽtiles pro suo errore cogitare nos duos Deos habere, quare nomen Dei omittit, sed Filium Deum esse ex eo inquit apparere quod Mediator est. Non itaque excludit diuinam naturam à mediatione, sed potius docet quare Paulus cum Mediator sit Deus et homo, hominem nominarit & non etiam Deum.

In Ambrosij testimonio confutando priorem querelam multis et horrendis conuitijs accumulatã repetit: quæ si ualet, certè posthac non breues & perspicuæ sententiæ authorum testimonij loco producendæ erunt, sed integræ paginæ aut etiam libri describendi. Si quid in uerbis Patrum à nobis mutatum est aut omissum: culpam hanc præstare debemus: si uerò eodem uel alio loco aut diuersa scribit idem Pater, aut alijs uerbis eandem sententiam obscurius Ambrosius.

enuntiat, hoc nihil ad nos: quoniam primum loca ad notauimus unde testimonia desumpta sunt, ut cuilibet liberum sit cum Patrum uerbis testimonia inde excripta conferre, & uidere etiam quid præcedat aut sequatur: deinde diserte diximus, Patres alicubi uideri humanitati seorsim Mediatoris munus attribuere, & causas quare id faciant attulimus. Verum ut ad Ambrosium ueniamus, primum uti uult aduersarius ostendit unam esse uoluntatem & proinde unam quoq; naturam Patris & Filij, quod nunquam negauimus. Secundo & tertio inquit eum ostendere Christum esse Mediatorem secundum humanitatem, ideo assumpsisse Filium Dei humanam naturam ut fieret Mediator secundum hanc naturam assumptam. Filium Mediatoris munus executum esse assumpta carne fateor, sed cum Ambrosius dicat eum assumpta carne Mediatorem esse non sine diuinitate, non hoc tantum dicit, in persona Mediatoris esse Deum & hominem, non autem nudum hominem, sed officium hoc non potuisse nudum hominem exequi nisi diuinitas illi coniuncta fuisset, ut Mediator inquit ex utroq; esset, utrunq; reconciliaret, haud dubiè utraq; natura operante quod suum est. Verum obijcit Ambrosium postremis his uerbis, Non enim poterat unitatem Dei custodiens Mediator Dei & hominum uocari, excludere diuinam naturam ab officio Mediatoris. Si naturam spectamus quatenus eadem est cum Patre, nos quoq; dicimus officium Mediatoris illi non conuenire, sed si spectamus dispensationem, quod non rapinam arbitratus est se

æqualem

æqualē esse Deo, sed nostri causa se eximaniuit, hac ratione illi optimè munus hoc conuenit: ut nō tantū tribuatur carni, sed utriq; naturæ, seu personæ in qua sunt duæ naturæ. Nō enim Ambrosius inquit hominē à Filio Dei assumptum esse Mediatorem, sed Filium Dei hominem factum qui legem non præteriret, esse arbitrum inquit. Multum autem hæ duæ sententiæ inter se differunt. Alter locus Ambrosij quem nobis obijcit aduersarius, Christum iuxta assumptionem carnis Mediatorem esse, nam eum iuxta quod Deus est à Patre non separari: nobis non aduersatur, uti sæpe ostendimus. Miror autem aduersarium non obseruasse Ambrosium eodem loco scribere, Christum esse Mediatorem in cuius manu, id est, potestate apostolus legem à Deo dispositam dicit, Galat. 3. Eundemq; Mediatorem conciliasse Gentes & Iudæos ablatis ab his operibus legis, ab alteris uero numero deorum & famulatu elementorum: quæ omnia non possunt attribui humanæ naturæ exclusa diuinitate.

Epiphanius.

Ex Epiphanio deinde multa à Stancaro transcribuntur, quæ ad rem præsentem non faciunt. Disputat Epiphanius contra eos qui gloriæ Filij Dei detrahebant, hanc disputationem si uolebat integram repetere aduersarius, longè plura ex Epiphanio ipsum describere oportebat. In hac igitur disputatione explicans locum Prouerbiorum, Dominus creauit me principium uiarum ipsius in opera ipsius, inter alias interpretationes, inquit hoc posse dici de Christo respectu carnis, & exempla affert in quibus Christus homo dicitur, & humana de illo dicuntur, ut pas-

carne, mortificatus carne, ex quibus Christus quoad carnem, Homo qui ueritatem dixi uobis: rursus uerò ostendit alijs locis diuinam & humanam naturam indicari: nam ubi dixit, Quæritis occidere hominem qui ueritatem dixi uobis, addit, Quam audiui ex Patre quo ostenderet passionem esse ex humana natura, seipsum uerò naturalem Filium Patris ex superanis. His inquit concinere apostolum & profert eius uerba, Vnus Deus unus etiam mediator Dei & hominum homo Iesus Christus. Qui non rapinam arbitratus est quod esset æqualis Deo, sed seipsum inaniuit forma serui sumpta. In his duobus locis ostendit utrobiq; significari in Christo diuinam & humanam naturam. Nam humanam indicari nomine hominis apertum est: diuinam uult Epiphanius indicari nomine Mediatoris, quoniam hoc nomen nullo homini non possit conuenire: hæc autem argumentatio frigida & inanis esset, si à mediatione diuina natura prorsus excluſa esset. Altera uerò sententia Pauli, non ad probationem primæ, sed peculiaris testimonij loco posita est: unde etiam peculiariter de illa contra hæreticos disputat. Si uerò iuxta Stancarum Paulus ad Timotheum tantum loquitur de homine Christo, & de persona Mediatoris loquitur, ergo persona Mediatoris erit tantum homo: non autem homo & Deus. Neq; firmum est argumentum, ex hoc loco ad Timotheum non posse hæretico probari diuinam naturam, igitur eo loco tantum de humana agi: hæretici enim multos manifestißimos locos Patrum & scripturarum, suis sophismatis involuunt:

uoluunt: uti etiam Stancarus facit. Affert uerba Epiphanij in carne impletum esse quod Christus factus sit pontifex, sed hic diuinam naturam ipsum non excludere ab officio pontificis, ex ipsius uerbis quæ adscribam manifestum erit. Quo uerò etiam exemplo ampliore utar (uerba hæc sunt Epiphanij) interrogauerit quis regem de proprio illius filio, & audacia sumpta dicet ad ipsum, Quis est hic? Vbi uerò audiuit ex patre iustam confessionem, filius meus est: rursus dixerit, filius tuus secundum naturam? & ubi rex dixit, Etiam: rursus inducet is qui interrogat, Cur igitur ipsum fecisti? & dicet omnino ille regem ipsum feci. Ergo quum dignitatem dixerit, ingenuitatem negauit? quum secundum dixerit, primarium aboleuit? Nequaquam. Sic igitur etiam Deus & Pater genuit Filium sine principio, & in carne impletum est, quod pontificem ipsum fecit. Ex hoc quo utitur exemplo facilè apparet à pontificis officio deitatem in Christo non excludi, cum dicitur ipsum assumpta carne, Pontificem factum esse. Vrget aduersarius, Epiphanium contra Theodotum ad explicandum Pauli locum, Vnus Mediator Dei & hominum homo Iesus Christus, & ad probandam Christi diuinitatem adduxisse alium locum Pauli ex epistola ad Romanos. Quæro an Theodotus rectè usus fuerit hoc loco Pauli nec ne? si rectè: igitur purus homo Christus: si non rectè, non igitur illic de humanitate tantum Paulus loquitur. At alium locum Pauli adducit Epiphanius rectè, nam quamuis hic quoq; ad Timotheum deitatem Christi indicet, tamen quia hoc

non admittebat aduersarius, & hunc locum in controuersiam uocarat, fuisset petitio principij si eum testimonio uti uoluisset. Et hoc idem responsum esto ad ea quæ ex Maxentio Stancarus profert.

Theodoreti testimoniū, quoniam aliter obscurare non poterat, simpliciter reijcit, quod nostræ citationi non credat & librum Theodoreti non habeat ad manus? Optādum ergo nobis erit ut Stancarus locupletem habeat bibliothecam, alioqui facilè poterit hac ratione Patrum testimonia plurima refellere. Nam quod nostram in citando fidem calumniatur, bonorum uirorum iudicium esto, qui nostra cum Patrum libris conculerint. Pergit Theodoretum esse hæreticum, quod sibi Venetijs retulerit quidam Græcus episcopus, ergo ne doctissimus homo cuius tot scripta utilissima extant, hæreseos damnabitur propter unius Græculi innominati testimonium, forte etiam confictum. Imò inquit in sexta synodo damnatum esse hæreseos Nestorianæ. Verum ô bone uir synodus hæc non ipsum Theodoretum, neq; eius scripta alia, sed tantum reprehensiones contra anathematismos Cyrilli damnauit. Nestorianismum in suis scriptis refutat, & in synodo Chalcedonensi cum honorifico testimonio à Patribus concilij suæ sedi restitutus est, & se calumniam passum esse ostendit, atq; publice Nestorium anathematizauit. Quod Stancarum tantum theologum ignorare non oportebat, ne ita temere tantum uirum hæreseos damnaret.

Theodoretus.

Sequuntur deinde duo testimonia è Cyrillo desumpta, ad quæ respondet aduersarius, Christi mediationem

Cyrillus.

diationem non dici ſeruilem ut Moſis aut propheta-
rum, quia perſona Verbum non ſit ſerua, ubi quæro
an in Chriſto ſtatuat duas perſonas, perſonam Ver-
bum & perſonam hominem. Addit, deſcribi perſo-
nam Chriſti in qua ſit Mediator homo, author Deus,
quod non fuerit in Moſe aut prophetis. Sed ſi quis
uerba Cyrilli expendat, mediationem Chriſti à Mo-
ſis mediatione differre inquit, quod hæc ſeruilis illa
libera ſit, at quare libera, quia Mediator noſter utrã
que naturam attingit & ita per ipſum humana na-
tura Deo coniungitur: nam hoc modo, coniunctione
diuinitatis & humanitatis in unam hypoſtaſim, Deũ
naturam humanam ſibi reconciliaſſe. Nouam igitur
hanc eſſe mediationem, quod naturaliter nobiſcum
coniungitur Mediator, & in ipſo diuinæ naturæ ſub
ſtantia noſtra coniungitur. Si tantum uoluiſſet per-
ſonam Verbum non eſſe ſeruam ut Stancarus uult,
quid opus erat mediationem dicere non ſeruilem, an
non illa ſeruilis prophetarum Deum quoq; authorẽ
habet. At hic author in una hypoſtaſi cõiunctus eſt?
Verum ſi author eſt Pater Filius & Spiritus ſan-
ctus num dicemus in una hypoſtaſi carni coniun-
ctum eſſe Patrem quoq; & Spiritum ſanctum? De-
inde iuxta Stancarum Verbum non eſt Mediator,
quomodo igitur propter Verbum non eſt ſimilis? Cy
rillus mediationis finem aut effectum ſtatuit huma-
næ naturæ coniunctionem cum Deo, eam autem Deo
eſſe coniunctam in Chriſto qui ſumma cum infimis
per ſeipſum colligauit eò quòd peccatum è medio ſu
ſtulit & per ſeipſum ad Deum patrem nos adduxit,

& quod diuinitas & humanitas in ipso collatæ & unitæ sunt, quæ secundum naturam ualde discretæ sunt & magnum habent interstitium, nos itaq; Christus per se Deo ac Patri coniungit. Atq; hæc est Cyrilli sententia penè ad uerbum desumpta ex lib. 1. Dialog. ad Hermiam: in quo copiosè de mediatione differit. Locus uerò quem nobis opponit aduersarius non excludit à mediatione diuinitatem, quod inquit, Christum in quantum Filius & Deus est, una cum Patre nobis bona largiri, in quantum Mediator est, preces nostras ad Patrem adducere. Vt Deus enim carnem quoq; non assumpsit, sed ut Mediator, Cum dicitur ut Deus spectatur essentia Dei & quæ essentialiter de Deo prædicantur, ut officium Mediatoris non essentialiter sed secundum dispensationem Christo conuenit.

Dionysius Areopag. Proximum Dionisij quem Areopagitam uocant testimonium, simpliciter reijcit tanquam Macarianum Eutychianum, quod ὑπερφυᾶ θεανδρικὴ damnata sit in sexta synodo, actione 8: & hoc loco plane ut sibi uidetur triumphat, ac nos nunc in spiritum sanctũ peccare ait, nũc fatuos & imprudentes appellat, rursus etiam hinc manifestè apparere inquit quod à priori fide defecerimus. Miror autẽ hoc loco hunc omnũ Theologorũ coryphæũ ita maledicendi studio excæcatũ esse, ut nõ cogitet aut uideat in sexta synodo ὑπερφυᾶ θεανδρικὴν nõ simpliciter damnari, sed ut à Macario asserebatur, cõfusis in Christo uolũtatibus et operationibus, quas nos distinguẽdas esse dicimus, interea tamẽ quia una natura operatur cum alterius communio-

communione, ſtatuimus hanc ὑπερφυᾶ θεανδρικὴν, idq; potiſſimum in illis operibus in quibus maxime illuſtris eſt hæc communio, & hoc facimus ex ſententia ſextæ ſynodi, nam ita ſcribitur Actione 10. in epiſtola Sophronij epiſcopi Hieroſolymitani, quæ ab uniuerſa ſynodo approbata fuit Actione 13. Huius uerò (de Emanuele Deo Verbo incarnato ſcribit) adſerimus eſſe uirtutem etiam illam, quæ dicitur noua et deiuirilis operatio, nõ unam exiſtentẽ, ſed diuerſi generis ac differentem, quam ex Areopago à Paulo egregie diuinitus captus Deo uocatus, aſſeruit Dionyſius, utpote Deo decibile in hoc ipſo & humanum habentem, perq; alacrem atq; compoſitam προοδικὴν dictionem, unicuiuſq; ſubſtantiæ atq; naturæ, unamquanq; perfectè ſignificantẽ operationem. Vt autem manifeſtum eſſet quomodo θεανδρικὴν ὑπερφυᾶ intelligeremus, uerba Damaſceni adſcripſimus, qui perſpicuè docet, quomodo diſtinctis naturis et uoluntatibus atq; operationibus in Chriſto ſit operatio θεανδρικὴ, quare ad Damaſcenum remittimus, quandoquidem eius teſtimoniũ aduerſarius noſter, quod Damaſcenũ, ut inquit, tũc non haberet, apertè confutare non auſus eſt. Tantũ inquit hæc intelligẽda eſſe ſecundum communicationem idiomatum, alioqui eſſe ſententiam hæreticam. Conſideret diligens lector locum Damaſceni, & uidebit non tantum quare hæc θεανδρικὴ ὑπερφυᾶ ſtatuatur, uerumetiam communionis idiomatum rationem & modum cernet. Damaſcenus.

Poſtremo loco inter Patres Auguſtinus poſitus eſt à noſtris, quod ex hoc plura quàm ex quouis alio Auguſtinus.

teſtimonia protuliſſent: his autẽ aduerſarius alia opponit, in quibus omnibus refellendis ne laborem moleſtum & inutilem mihi ſumam, remitto lectorem ad illam explicationem Patrum, quæ Auguſtini teſtimonijs ſubijcitur in poſteriore Tigurinorum epiſtola: nam eo loco aperte ſcribitur, Patres aliquando peculiariter & ſeorſim humanitati Mediatoris officium tribuere, & cauſæ afferuntur quare id faciãt. Interea tamen teſtimonijs allatis hoc uoluerũt noſtri oſtẽdere, Patres propter has locutiones certis de cauſis uſurpatas ideo nõ ſummouere in uniuerſum à Mediatoris officio Chriſti diuinitatẽ & illud intra cancellos humanæ naturæ reſtringere. Quare tantũ oſtendam, in teſtimonijs quæ ex Auguſtino noſtri protulerũt, munus hoc etiam ad diuinam naturã referri, quatenus ſcilicet efficaciã mediationis et diuina atq; præſtantia opera Mediatoris Auguſtinus conſiderabat. Primum autẽ duo teſtimonia allata ſunt ex Enchiridio Auguſtini ad Laurentium, horum alterũ intactũ prætereſt, in altero illud arripit quod Mediatorem Dei & hominum, hominem Ieſum Chriſtũ Auguſtinus appellat. Igitur ſi tantũ diuinæ naturæ mediationem tribueremus, hæc locutio nobis aduerſaretur: nunc quando dicimus Chriſtum ſecundũ utranq; naturam Mediatorem eſſe, nobis hoc nõ aduerſatur quod hominem eum nominans humanitati mediationẽ attribuit: explicat enim ſeipſum Auguſtinus, quod diuinitatem non excludat, quando addit nos per hũc Mediatorem nõ potuiſſe liberari, niſi eſſet & Deus: non tantũ tribuẽs Deo munus liberandi, hac ratione

qua

qua per Moſem Iſraelitas ex Aegypto liberauit: ſed quod Mediator ſit Deus & ita ut Deus efficaciter liberet, ut non neceſſe ſit extra perſonam Mediatoris liberatorem quærere. Secūdum teſtimoniū Auguſtini habetur libro 1. de Conſenſu euangeliſtarum, cui hæc præcedentia uerba Stancarus addit, & ea paraphraſi interpretatur. Vt ergo ab imis ad ſummas reuocemur, utq; id quod ortum eſt recipiat æternitatē, per fidem ueniendum eſt ad ueritatē. Et quoniā omnia quæ in contrarium pergunt per aliquod medium reducuntur, ab æterna iuſtitia temporalis iniquitas nos alienabat. Opus ergo erat media iuſtitia temporali, quæ medietas temporalis eſſet de imis mixta & ſummis, atq; ita ſe nec abrumpens à ſummis, & contemperans imis, ima redderet ſummis. His adduntur uerba à noſtris citata. Ideo Chriſtus Mediator Dei et hominum dictus eſt inter Deum immortalē & hominem mortalem, Deus & homo reconcilians hominē Deo, manens id quod erat, factus quod non erat. Iuſtitiam temporalem mediam Stancarus interpretatur iuſtitiam hominis Chriſti, eam mixtam eſſe de imis ſummis, quod humanitas Chriſti concepta ſit ex Spiritu ſancto & nata ex uirgine, per hāc iuſtitiam nos Deo cōiungi. Attamē quia humanitas Chriſti eſt unita Deo Verbo, ideoq; inquit Auguſtinū hoc explicare quod Chriſtus homo qui tamen ſit & Deus, is in quā homo reconciliet nos homines mortales Deo immortali, id eſt, ſibi ſecundum diuinitatem et Patri ac Spiritui ſancto. Hanc autem interpretationem non eſſe conſentaneam uerbis Auguſtini, facilē ex colla-

tione deprehenditur. Vt coniungamur Deo requirit Augustinus iustitiã temporalẽ quæ sit mixta de imis & summis, & hinc concludit ideo Christum Deũ et hominem dictum esse Mediatorem Dei et hominum, quod is manẽs Deus quod erat, & factus homo quod non erat, nos reconciliet Deo. Quare hæc iustitia mixta de imis in Christo quærenda est quatenus Deus & homo. Fuit homo absq; peccato, impleuit legẽ in humana natura, exhibuit Patri obediẽtia in passione & morte: quia autem in hac persona agente & patiente Diuinitas coniuncta fuit humanitati, ideo hæc iustitia & obedientia ex diuinitate tantam habet dignitatem, excellentiam & efficaciam ut sufficiat redimendo uniuerso generi humano. Atq; efficacitatem iustitiæ Christi adscribendã esse diuinitati, quæ carni unita est, docet aperte Augustinus libro de fide ad Petrum diaconum cap. 2. Verbum ergo caro factum, unus est Filius Dei dominus Iesus Christus, Mediator Dei & hominum. Idcirco autẽ Mediator quia idem Deus atq; homo uerus, habens cum Patre unã diuinitatis naturã, & humanitatis unam cum matre substantiam: habens ex nobis usq; ad mortem iniquitatis nostræ pœnam, habens incõmutabilem de Deo Patre iustitiam: propter iniquitatem nostram temporaliter mortuus, propter iustitiam suam & ipse uiuus semper, & immortalitatem mortalibus largiturus, &c. Tertium testimonium Augustini habetur in eius libello uel homilia de ouibus capite 12. In quo Christum inquit Mediatorem esse Dei et hominum, quia Deus cum Patre, homo cum hominibus. Non

Mediator

Mediator homo præter deitatem, nõ Mediator Deus præter humanitatem. Ecce inquit Mediator. Diuinitas ſine humanitatè nõ eſt mediatrix, humanitas ſine diuinitate non eſt mediatrix. Hæc omnia Stancarus inquit de perſona dicta eſſe, quam primum concrete deinde abſtracte deſcribat. Verum eſt perſonam Mediatoris, quæ duabus naturis conſtat, ab initio deſcribi, ſed ea quæ adduntur, de diuinitate & humanitate mediatrice ad officium pertinent, unde etiam perſona deſcripta. Ecce inquit Mediator, & deinde exponit quomodo hic Mediator munus ſuum exequatur, primum negat alterutram naturam ſolam eſſe mediatricem, ſed inter diuinitatem ſolam, id eſt, quatenus Deus in ſua natura ſpectatur non coniunctus carni, & inter humanitatem ſolam, qualis eſt omnium hominum natura, quibus Deus nõ eſt unitus ut Chriſto: inter Deum ergo & homines mediatrix eſt humana diuinitas, nõ diuinitas nuda, hæc enim infinita diſtantia à nobis diſtat, ſed diuinitas humana, hoc eſt, quatenus in perſona Filij carnem aſſumpſit. Rurſus humanitas ſola non mediaret, ſed diuina humanitas Chriſti, hoc eſt, quæ in Chriſto diuinitati inconfuſe & inſeparabiliter unita eſt. Quod ſi perſonam per abſtractum explicare uoluiſſet, an non quod ante euidenter dixerat, deinde explicaſſet per obſcurius. Addit, Et ſeruus meus Dauid princeps in medio eorum: ſed hoc non intelligendum eſſe tantum de humanitate, quod tantum ſecundum humanitatem Chriſtus paſtor noſter ſit, in eodem capite aperte oſtenditur, inquit Deum

ideo dicere, Ego pascam, & seruus meus Dauid pascet eas, Ego ero eis in Deum, & ipse erit eis in pastorem, ut ostendat unitatem deitatis & personarum distributionem: quod dicere opus non erat, si Dauidis nomine non integra persona Christi, sed tantum humanitas eius significaretur. Neque hic me calumnietur Stancarus quod naturam diuinam in seruitutem coniiciam, quia ostendo totam personam seruum Dauid appellari, nudæ deitati hoc nomen non congruit, sed hic secundum dispensationem loquimur, qua Filius formam serui assumpsit. Quartū testimonium Augustini ex nono libro de ciuitate Dei desumptum est, huic opponit aduersarius quod eodem loco ab Augustino scribitur: Nec tamen ob hoc Mediator est, quia Verbum, maxime quippe immortale & maxime beatum Verbum longe est à mortalibus miseris, sed Mediator per quod homo: &c. Item, Ideo quando in forma serui ut Mediator esset, infra angelos esse uoluit, in forma Dei super angelos mansit, idem in inferioribus uia uitæ, qui in superioribus uita. Paucis dico, me fateri Christum in nuda deitate non esse Mediatorem, aut ideo quia Verbum est: sed ideo esse Mediatorem, quod Verbum formam serui assumpsit: non tamen hinc conficitur formam serui tantum esse Mediatorem, sed Filius in forma serui Deus incarnatus. Si enim officium hoc tantum ad formam serui pertinet, quæro quomodo ea nos sui participatione beatos facere possit, quod Mediatoris proprium esse eodem loco Augustinus docet. Et quoniam in omnibus Patrum

sententijs

ſententijs id maxime à nobis quæritur, an illi diuinam naturam à mediatione remoueant quando Chriſtum ſecundum humanitatem Pontificem & Mediatorem eſſe dicunt, adſcribam hic illuſtrem Vigilij locum, qui etſi Chriſtum ſecundum humanitatem Mediatorem factum eſſe dicit, tamen in explicanda mediatione diuinam naturam adeo non excludit, ut illi omnem uim & efficaciam reconciliationis attribuat. Et quanquam hæc ſuffecerint (uerba hæc ſunt Vigilij) pro ſui firmitate roboris ad demonſtrationem in Chriſto utriuſq; naturæ, tamen ut magis magisq; ueritatis claritas eluceſcat, libet etiam illum apoſtoli tractare ſermonem, quo pro nobis Chriſtum Mediatorem adſerit factum: quod officium niſi ex ueritate naturæ carnis, quàm ex nobis habuit implere non potuit. Quoniam per ipſam inter Deum & homines medius apparuit. Et quia, ut Apoſtolus ait, & rerum ueritatis [illegible]oces, Mediator non eſt unius: habens autem Chriſtus ſecundum uos unam naturam, oſtendite unde ſit medius inter nos & illum? Quia ſi ut impiè ſapitis, una eſt eius natura Medatoris: in eo quod eſt unum & ſingulare ſalutis noſtræ remedium, fruſtrabitur ſacramentum. Vnde enim medius erit, ſi utranque non habuerit? Quia niſi talem dederis inter Deum & homines, qui ita ſit medius, ut ex utroque utrunque ſit, id eſt, ut & Deus ſit propter diuinitatis, & idem homo ſit propter humanitatis naturam, humana diuinis quemadmodum reconcilientur non oſtendis. Nam quia tranſgreſſione mandati inimici Dei

extiteramus, & in contrarium animis discordantibus uergebamus, à supernis declinantes, & ad ima tendentes, necesse fuerat interuentu miserationis diuinæ, solutis inimicitijs contraria in unum reuocari, & supernis ima restitui: quod non aliter fieri potuit, nisi talis Mediator existeret: qui de cœlestibus ueniens couniretur terrenis, retinens in se id quod erat, unus fieret in utroque: & ita per utriusque naturæ counionem in una eademq; persona, & humana diuinis, & diuina sociaret humanis, prius utrunque, sine utriusque abolitione, uniens in seipso, dein omnes fideles Patri reconcilians Deo. Et quia reconciliationis sacramentum immaculatum flagitabat sacrificium, talis hostia requirenda fuerat, quæ ita media esset inter Deum & homines, ut & morti succumberet per illud quod hominis habebat, & mortem reuinceret per id quod in se diuinitatis tenebat.

Petrus Lombardus.

Posteaquam Patrum testimonia à nobis adducta sua sophistica contaminauit aduersarius, accedit deinde ad tuendam authoritatem Petri Lombardi, quem uulgò Magistrum sententiarum nominant, e quo suum hoc dogma de Mediatore hausit, ne forte aliquis arbitretur ipsum tam doctum esse ut noui erroris patronus esse posit. Hunc igitur suum magistrum non tantum laudat, uerum præ illo nostræ ætatis theologos doctissimos planè contemnit. Plus uallet inquit, unus Lombardus quam centum Lutheri, ducenti Melanchtones, trecenti Bullingeri, quadringenti

genti Petri Martyres, & quingenti Caluini. Qui omnes si in mortario contunderentur, non exprimeretur una uncia ueræ Theologiæ, & præsertim in articulis dē Trinitate, Incarnatione, Mediatore, & Sacramentis. Addit postea nullum scriptorem ecclesiasticum, exceptis tantum scriptoribus ueteris & noui testamenti, cū Petro Lombardo Magistro sententiarum conferendum esse. Suadet præterea omnibus, ut eius & Patrum atq; Scholasticorum libros legant. Et sanè Lombardus dignus est tali præcone homine maledico & inepto: quod si quis forte Stancarum ignorat, eius doctrinam & de religione sensum ex eo æstimet, quod Magistrum non tam sententiarum quam errorū, omnibus ecclesiasticis scriptoribus præfert, & ut Midas quidam Barbaricum eius carmen tot eruditis ueterum & recentiorum lucubrationibus anteponit: dignus etiā propter tam exactum iudiciū asininis auribus, ut hoc indicio qualis eius sit animus appareat. Collegit quidem Lombardus uarias Patrum sententias, sed in illis accommodandis & explicandis, solet ut ille ineptus pastor,

Stridenti miserum stipula disperdere carmen.

Nā primū sua barbarie omnia fœdat & polluit, deinde multa in alienum sensum detorquet, & præcipuos omnes errores Papatus defendit: postremo in his dogmatibus in quibus rectè sentire uidetur, multas admiscet spinosas & inutiles quæstiones, quas deinde Scholastici tantopere Stācaro probati in immensum auxerunt. Per me itaq; licet Stancaro libere frui de-

litijs Magistri & Scholasticorum, quandoquidem Dei beneficio innumeri authores extant, quos multo maiore cum fructu & delectatione legere possumus, ut non necesse sit in eius centonibus ineptis tempus perdere.

Post Magistri laudes confert seipsum aduersarius D. Augustino & Athanasio. Nam ut hunc persecuti sint Arriani, & in alterum conspirarint Donatistæ Manichæi & Pelagiani, propterea quod non auderent cum eo conferre, ita nunc apud Germanos, Polonos, Hungaros & Transyluanos, synodos contra se celebratas esse, libellos editos, persecutiones contra se excitatas esse. Verum hæc omnia non probãt eius pietatem, fidem, innocentiam: demonstrandum illi erat iniuriam sibi factam esse, se ueritatis causa exosum esse, quod hactenus nondum probauit, quãuis multis sophismatibus sua dogmata tueri uoluerit, & multis calumnijs & conuicijs aduersarios insectatus sit. Itaq; ex eo quod tot ecclesiæ, tot pij doctores uno consensu Stancarum impugnant, non astruitur fides doctrinæ illius, sed ea magis in dubium uocatur.

In fine libri petit ut æquo animo feramus suas, imò Spiritus sancti castigationes & reprehensiones per se factas, nos enim grauioribus reprehensionibus dignos fuisse: quin etiam in præfatione libri se leui tantum reprehensione usum esse scribit, & apostolos atq; ipsum seruatorem uehementius nonnullos reprehendisse, quam ipse Tigurinos & Geneuẽses in hoc libro reprehenderit. Quapropter ut eius

modestia

modestia appareat, uolui in fine meæ responsionis reprehensiones illas leues apponere, non quidē quoties ab eo ponuntur, hoc enim esset totum librum describere, cuius maxima pars maledictis constat, sed tantum singula eius conuicia in ordinem dispositа hic apposui. Primum igitur quod leuissimum est, Tigurinis omnem doctrinam adimit, inquit esse Grammaticos & quidem indoctos, non Philosophos, non Theologos, non bonos dialecticos, imò nescire unum syllogismum struere, proponere de lactuca & concludere de raphano. Solos Tigurinos ignorare articulos de Trinitate & incarnatione & Mediatore, atq; intra 40. annos hos non potuisse addiscere. Scripsisse duas ad Polonos epistolas adeò fatuè, imprudenter, ignoranter, malitiosè & impiè, ut nullus in illis sit paragraphus qui non egeat uel interpretatione Christiana, uel correctione, uel additione, uel mutilatione, aut confutatione. Addit, nos uti stolidis rationibus & anilibus nugis quæ seipsas subuertant, per contradictionem seipsos confutare, scripturas Patres & concilia contra seipsos allegare, & suomet gladio se iugulare, summam deniq; eorum esse ignorantiam, & planè priuatos esse communi sensu. Non contentus autem nobis summam ignorantiam tribuere, summā quoq; malitiam nobis tribuit, ac fraudulenter & inique nos omnia agere & impudenter mentiri, inquit esse impostores, homines ter miseros & ter infelices: falsarios ueritatis & hæreticos manifestos: Arianos primum qui uerum ueri Arij spiritum habeant, deinde etiam Eutychia-

Cōuitia Stancari cōtra Tigurinos.

nos, Apollinaristas, Timotheianos, Acephalos, Theodosianos, Gaianitas, Macarianos, Manichæos. Vociferatur Tigurinos esse perturbatores & seductores Ecclesiæ Dei, corruptores fidei catholicæ, qui Patrum & scripturarum sententias corrumpãt, & eas suæ impietati inseruire faciant, homines blasphemos, qui duos aut tres Deos constituant, & diuinam naturam in miserabilem seruitutem conijciant, & è sede maiestatis suæ deponant. Retractasse nos inquit ueram & catholicam fidem de Trinitate & Incarnatione & Mediatore, & impia atque hæretica doctrina Ecclesiam Christi perturbare, simplices decipere, & sanctissimam Trinitatem blasphemare. Et postquam ab ipso admoniti fuerimus noluisse tamen resipere, sed esse nunc magis induratos, impugnare agnitam ueritatẽ & peccare in Spiritum sanctum, ideoq; nos à Deo traditos esse in sensum reprobum, & percussos horribili mentis cæcitate, ideoq; nos ut homines ἄθεους & organa Satanæ atq; iræ Dei ab ecclesia censendos & condemnandos atq; reijciendos esse, nisi resipuerimus. Hæc est illa lenis castigatio, qua humilis hic & pius Theologus in nos animaduertit. Eadẽ lenitate muchitur in Geneuensis ecclesiæ ministros & præsertim in uirum optime de ecclesia meritum Ioannem Caluinum. Sed quia pijs omnibus Ecclesiarum nostrarum doctrina nota est, nolo laborare in confutandis calumnijs & conuitijs furiosi & maledici hominis, tantum utriusq; Ecclesiæ nomine pro responso habeat uolo comici seruuli uerba,

Nobis

Nobis indignas, seq; dignas contumelias,
Nunquam cessauit dicere hodie.

Quod si apud eos quibus nostræ ecclesiæ notæ sunt uterer illa Scauri defensione, Stancarus hæc de Geneuensibus & Tigurinis dicit, Geneuenses & Tigurini negant, utri creditis? nemo arbitror me diceret arroganter facere: neq; enim is est Stancarus, ut arrogans uideri debeam, si has ecclesias quæ multis ornamentis diu excelluerunt, eius sordibus anteponam. Si quibus tamen minus nota est harum Ecclesiarum doctrina, eos obtestor ut scriptis nostrorum lectis de doctrina iudicent, in qua si repererint uel uestigia ullius hæreseos cuius nos Stancarus accusat, non recuso quin omnium simus rei. Ipsi Stancaro precor meliorem mentem: atq; Deum rogo & obsecro, ut suas Ecclesias ab ambitiosorum & contentiosorum hominum furoribus & turbis liberet: quo tandem omissis curiosis, & arduis quæstionibus, nomen Dei inter nos qui eandem religionem profitemur, unanimi consensu uera fide in spiritu & ueritate agnoscatur & inuocetur, & prout ueros Christianos decet, pietate & sanctimonia uitæ ut dignum est celebretur. Amen.

PHILIPP. 3.

Cauete canes, cauete malos operarios, cauete concisionem.